



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio XXI. Continuatio ejusdem materiæ: Jesus Christus est sola  
vera lux mundi; qui non videt per ipsum cæcus est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**

Rom. 10.  
v. 15.

non fuerit cum ipsis, nihil prorsus poterint efficere. Et sanctus Paulus usque adeo admiratur pulchritudinem horum pedum, verorum nempe Prædicatorum & Evangelistarum, ut nonnisi cum exclamatione loquatur de illis: *Quàm speciosi pedes Evangelizantium!*

Sed sperabam, Domine, in-

terruptit Onesimus, te mihi dicturum adhuc alia de Prædicatione Jesu Christi; hæc enim iudicio meo, præcipua Milionis ipsius fuit provincia. Verum est, inquit Ecclesiasticus; sed ut magis solidè de illâ tibi loquar, alia tota integra requiritur adhuc Consultatio.

## CONSULTATIO XXI.

*Continuatio ejusdem Materia: Jesus Christus est sola vera lux mundi: qui non videt per ipsum, cæcus est.*

**A**N grates vobis agam, Domini mei, an verò conquerar de vobis? haud levis mihi causa est, faciendi utrumque. His verbis avere nos iussit Onesimus, altero die, summo diluculo reversus ad nos. Quid boni præstitimus tibi, vel quo malo te affecimus, quod ansam tibi præbeat, vel grates nobis agendi, vel conquerendi de nobis? interrogat ipsum noster Ecclesiasticus. Totâ nocte non cessâstis mihi verba facere; propterea continua me tenuit inquietudo defixum, quæ obstabat, ne ad vestrum dormire sermonem: siquidem nil perdere volebam ex

omni eo, quò dicebatis mihi; & tamen summò tenebar desiderio dormiendi quietè, & non poteram.

Adducebatis mihi loquentem Jesum Christum per omnes Prophetas, immò etiam per omnes creaturas à principio mundi, quando Verbum hoc pronuntiatum fuit super antiquum illud Chaos: *Fiat lux*. Videbatur is mihi esse ista lux, quæ se diffundebat ubique, & luci expose-

*Jesus Christus est lux mundi, lucens in tenebris mundi,*

nebat omnia: Et nihilominus nil videbam ego, nisi tenebras; & lux in tenebris lucebat, & tenebræ non comprehendebant ipsam. Et hæc omnia nonnisi confusionem pariebant in animo

meo,



meo, & hæc confusio torquebat me, & nihilominus videndi illam tenebar desiderio.

*Ecclesia Christiana portata fuit more infantis in sinu Synagogæ.*  
 Ostendebatis mihi Ecclesiam in sinu Synagogæ, velut fœtum, qui formatur successivè in sinu matris suæ, quin mater sciat, quid portet, aut quomodo formetur fœtus suus; vel quod impedire queat, ne crescat semper, & distendat ventrem suum; aut quod inhibere possit causata sibi ab eo tormina, vel timorem, ne moriendum sibi sit, dum pariendum sibi erit. Videbam pauperem hanc Synagogam, quæ modò gloriabatur ex eo, quòd esset gravida, promittens sibi, parituram se felicitatem mundi; & modò lamentabatur, ingemiscebat, & deplorabat infelicitatem suam, ob incertitudinem, quid eventurum sibi esset: Et dum putabam videre me finem inquietudinum ipsius, ecce alia phantasmata conceptam animo immutabant sententiam.

Videbam plures absque ordine accensas lampades, quæ volitabant per aërem ab invisibilibus portata manibus, quæ offerebant unicuique ignem & oleum. Aliquæ accipiebant utrumque; aliæ accipiebant oleum, & relinquebant ignem; aliæ accipiebant ignem, & relinquebant oleum; & nonnullæ etiam nitentur illas extinguere: afficiebar exin mœrore, qui existi-

mulabat me ad sumendam de iis vindictam. Sed ut ab eo me impediretis, videbamini eodem tempore elatâ tum manu, tum voce mihi dicere: Attende, & benè cognosce, quinam sint illi, qui volant tanquam nubes impulsæ à vento, à termino mundi uno usque ad alterum. Et attollens meos versus cœlum oculos aspicebam nubes plurimas, dividentes se in omnem terram, & effundentes in orbem pluviam igneam, unde nascebantur homines alterius formæ, quàm alii, habentes alium spiritum & alium agendi modum.

Omnia hæc phantasmata ex unâ parte haud modicum obletabant me, quia erant mihi nova, & ex transcurso ac strictim quidquam magni intuebar in illis; sed ex alterâ parte pariebant mihi molestiam, quia ex illis capiebam nihil, & insuper mihi meam interturbabant ipsæ quietem. Ut abigerem illa, videbar mihi recurrere ad Deum, & elatâ interrogare voce: Ubi est ergò Iesus Christus, qui dicitur esse vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum? Et vos respondistis mihi: Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. In omnibus his quæ vidisti, non vidisti nisi Iesum Christum. Volebam rogare vos, ut magis id mihi explicaretis, sed terga obvertistis mihi.

Unde

Hebr. 13.



Unde quidam me obruens impatientia eripuit mihi residuum somni mei: tantum enim habebam, unde inquietarer, & parum nimis, unde caperem somnum, quo indigebam. Relicto igitur strato perrexi ad vos, nescio, an conquesturus de molestia, quâ me affecistis, dum meam mihi interurbâstis quietem; an grates acturus de voluptate, quam attulistis mihi, excitando in me tam jucundas & festivas imaginationes, quas profectò absque vobis non habuissem. Accipite id, prout placuerit vobis. Sufficit, me venisse ad vos, tanquam ad meum oraculum: Deest mihi aliquid ad quietandum meum animum circa hæc omnia, & nescio adhuc, quidnam sit illud.

Suaviter admodum respondit illi Ecclesiasticus. A quo id animo accipio lubens, gratesque refero tibi: Non contentus es, auscultasse me totâ nocte dicentem ad te; summo adhuc accedis & ades diluculo, quali; me

quòque audire velis dicentem totâ die. Sed non sum ego, qui locutus sum tibi hæc nocte. Non absimilis es puero Samueli. Deus vocabat illum & loquebatur ip-  
Quando Deus nobis loquitur in secretis ipsi respondendum est  
 si, dum dormiebat in templo, & ipse accessit summum Sacerdotem Heli, quasi vocatus fuisset ab ipso. Non, mi fili, respondit bonus senex: Non ego locutus sum tibi, nec vocavi te; non mea, sed alterius hæc vox est, revertere & dormi; Quod si iterum loquatur, responde: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Deus est, Onesime, qui locutus est tibi in somno tuo; & tu venis, ut consulas hominem; Deus est, & non ego, a quo expostulare te oportet declarationem dubiorum tuorum.

Non intelligo mysterium hoc, respondit Onesimus: Non assuetus sum loqui Deo; loquere mihi tu ipse, & circa plurima, quæ meum turbant & infestant animum, mihi præbe explanationem. Inprimis dic mihi, an verum sit.

## ARGUMENTUM.

*Quòd Iesus Christus semper fuerit sola vera lux mundi, à creatione usque ad finem seculi?*

### ARTICULUS I.

**N**ON considerandum tibi est, respondet Ecclesiasticus, nisi id, quod sanctus Joannes tibi

dicit in principio sui Evangelii de Iesu Christo: *Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

Joan. I.

*venientem in mundum*



Jesus Christus  
est vera lux  
illuminans  
omnem ho-  
minem veni-  
entem in  
hunc mun-  
dum.

Non stat per  
solem, quod  
ab omnibus  
non videatur.

nientem in hunc mundum. Dicit  
omnem hominem, nullum pro-  
fus excipiendo, ad insinuandum  
nobis, quod omnes homines ab  
Adam, non habuerint unquam  
veram aliquam lucem, nisi il-  
lam, quam acceperunt à magno  
hoc sole æternitatis. Probè no-  
vi, non omnes recepisse ipsius  
lumen, eòquod omnes non co-  
gnoverint ipsum. Verùm an  
hoc per ipsum stat? an in mora  
est ipse? Sicut non stat per so-  
lem, quod omnes creaturæ non  
aspiciant ipsius lumen; quòdque  
licèt cæcos reperire sit in mun-  
do; licèt illi, qui oculos habent,  
sæpè claudant ipsos, ac volun-  
tarias sibi concilient tenebras;  
licèt pleræque creaturæ corpo-  
rales careant oculis ad viden-  
dum; licèt tandem non aspicia-  
tur sol à centesimâ creaturarum  
parte: non desinat tamen ve-  
rum esse, quod ipse solus sit fons  
inexhaustus omnis lucis sensibi-  
lis, quod illam torrentis in mo-  
rem diffundat ubique, quod-  
que, quidquid est umquam &  
usquam, illuminet.

Sic, licèt verum sit, pleròsque  
homines non recepisse verum  
lumen à Jesu Christo, quod in-  
cessanter ubivis effudit terra-  
rum, ubivis gentium; licèt plu-  
res reperiantur cæci ex propriâ  
suâ malitiâ, & alii *excavari se pã-  
tiantur à Deo hujus sæculi*, licèt di-  
cit S. Paulus, & innumeri clau-

fos habeant oculos lumini veri-  
tatis, ut illos errorum gentilium  
aperiant tenebris, se trahi per-  
mittentes à Patre mendacii in  
idololatriæ superstitionem; licèt  
verum sit, unico verbo, quod  
lumen Jesu Christi non videatur  
à millesimâ hominum parte;  
cùm ipse non sit, qui lumen  
suum ipsorum subtrahat oculis,  
sed ipsi suos oculos ipsius sub-  
trahant lumini; non desinat ve-  
rum esse, quod ipse vera sit lux,  
quæ illuminat omnem hominem  
venientem in hunc mundum.  
Væ illi, qui oculos non habue-  
rit apertos ad illam aspicien-  
dam.

Verùm ipse in mundo non  
erat à principio mundi, replicat  
Onesimus, eòquod natus sit in  
medio temporum. Oportet er-  
gò saltem illos, qui præcesserunt  
ipsum, privatos fuisse ipsius lu-  
mine; siquidem cùm ipse fons  
sit & origo omnis veri luminis,  
hoc esse non potuit ante ipsum  
in mundo, alias necessario effe-  
ctus fuisset ante suam causam;  
& hoc tam absolute est impos-  
sibile, ut Deus ipse id efficere  
non posset. Quis dixit tibi, re-  
ponit Ecclesiasticus, ipsum non  
fuisse in mundo à principio mun-  
di? Dico tibi quid amplius, ex-  
titisse ipsum ante mundi crea-  
tionem. Nonne ipse est Ver-  
bum æternum? Nonne ipse est,  
qui extraxit mundum è nihilo?

Ssss

Nun-

2. Cor. 4.  
v. 4.



Nunquam mundus esse potuit absque ipso; tamque verum est, ipsum esse virtutem omnipotentem Patris, creantem omnem hominem venientem in hunc mundum, quam verum est, ipsum esse lucem veram, illuminantem omnem hominem venientem in hunc mundum.

Verum est, ipsum non apparuisse oculis mundi, absconditum sub velamine carnis humanæ, nisi in medio temporum; semper tamen insonuit auribus, indutus voce humanâ in ore Patrum, Patriarcharum & Prophetarum, sicut sanctus Apostolus Paulus verbis expressis scribit:

Hebr. I.

Jesus Christus loquebatur per os Prophetarum ante incarnationem.

*Multifariam multisque modis, olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* Ipse locutus est à principio per os Adami, utens ipsius voce, ad instruendum ipsius filios circa veritates æternas, quas credere debebant, ut salvarentur; & si filii semper recipere & conservare voluissent verum lumen Verbi æterni, quod receperant ex ore Patrum suorum, idque suis consignare successoribus; Jesus Christus semper fuisset verum lumen, quod reipsâ illuminasset omnem hominem venientem in hunc mundum, & nunquam deflexisset aliquis in tenebras erroris & paganæ infidelitatis. Sed eandem facilitatem, quam demonstrarunt Protoperentes nostri, præbendo aures

Principi, tenebrarum se seducenti, successu temporum exhibuerunt ipsorum filii, & adhuc majorem, permittendo se decipi, ac seduci à dæmonibus; & claudentes maximâ ex parte oculos vero lumini, ferè omnes infelicitè circumfusi & involuti sunt tenebris. Sed an arguendus sit sol, si quasi omnes homines obfirmantes ipsi oculos, privati vivant cæcorum in morem ipsius lumine?

Merebantur omnes eodem privari: nihilominus Deus, qui non obliviscitur miserationum suarum in medio iræ suæ, conservavit semper splendorem & verum lumen veritatis in parvo & tenui populo, quem elegit velut charam portionem suam, constituens ipsum depositarium veræ religionis in mundo superstitis, ipsique semper suppeditans Prophetas & pastores, conservantes ipsum in perseverantiâ suæ fidei, quamvis non cognoverit ingentem, quem possidebat, thesaurum ex integro: eò quod non haberet omnia nisi in figuris & promissionibus. Figuræ abscondebant ipsi veritatem, & promissiones clarè ostendebant illis, quod non possiderent adhuc felicitatem summam, quæ suam constituere & perficere debebat beatitudinem. Verum an non erat nisi parvus hic numerus hominum, qui cogno-

Quare Deus conservaverit lumen veritatis in natione Judæorum,



cognoscebant Deum? Interrogat Onesimus: Non erant ipsi nisi pugillus hominum, in comparatione cum mundi residuo: Deus nonne est Deus nationum infidelium tam bene quam Judæorum? Nonne est Creator & Pater omnium? Ut quid ergo hos in suis relinquit miseris! Jesus Christus nonne Salvator esse voluit omnium? Ecce ergo ille, cum vera sit lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, cum non cessaverit divinum suum effundere lumen à creatione mundi; cur conferre illis non voluit gratiam, ut illuminaret eos, sicut alios? Ah! nonne hoc fecit, respondit Ecclesiasticus.

Quomodo  
Jesus Christus  
non cessaverit  
illuminare omnes nationes infideles per magna miracula, quæ patrabat inter Judæos.

Ipsemet erat, Verbum æternum erat, Jesus Christus erat in persona Moysis, loquens fidelibus per os ipsius, & infidelibus per ipsius manus. Instruebat populum suum loquendo ipsi: instruebat infideles exhibendo ipsis prodigia tam stupenda, ut replerent totum universum admiratione, cum impossibile esset ignorari illa ab aliqua mundi parte. Siquidem sanctus Paulus affirmat nobis, Prophetiam, id est, prædicationem veritatis, datam esse fidelibus, qui credunt verbo Dei, & non infidelibus, qui non credunt illi; quodque signa vel miracula ex adverso data sint infidelibus, qui

necessario convinci debeant per tam manifestos Omnipotentis Dei effectus, & non fidelibus, qui iis non indigent, eòquod totam suam fidem debeant veritati Verbi divini.

Nonne ergo hæc efficax admodum prædicatio fuit, facta à Jesu Christo cunctis nationibus infidelibus, replentibus universum terrarum orbem? Nonne magna erat abundantia gratiarum evidentissimarum, quas exhibebat ipsis, quando eximia hæc per manus Moysis patrabat miracula, qui alio non utebatur instrumento, nisi virgâ, quam manu gerebat, ut faceret obtemperare sibi mare & terram, cælos & astra, elementa & universam naturam. Moyses erat ratione quâdam Jesu Christo ante Incarnationem suam, id, quod ipsi fuerat Humanitas sua sancta post Incarnationem, nempe instrumentum omnium miraculorum suorum; & virga in manu Moysis representabat Crucem ipsius. Non igitur Moyses erat, qui operabatur omnia hæc miracula; sed erat Jesus Christus absconditus sub formâ Moysis, qui flagellabat Pharaonem omnibus his plagis Ægypti, quæ terrore percellerant ipsum, & totum populum ipsius. Non erat Moyses nec virtus virgæ ipsius, quæ dividebat mare rubrum



brum bifariam, ut securum ac liberum faceret transitum universo Israël populo, & deglutendum paulo post consignaret ipsi universum Pharaonis sese persequentem exercitum: sed erat Jesus Christus absconditus in Moyse, & potentia Crucis ipsius, quæ patrabat cuncta hæc ingentia prodigia.

Jesus Christus  
dedit gratias  
& lumina infidelibus ante  
incarnationem.

Quis dicat, fuisse unicum duntaxat hominem in toto orbe, qui ignorare potuerit veritatem horum miraculorum, quæ concernebant regnum integrum, & totum aliquem ingentem populum, insuper formidandum quemdam Regem cum toto exercitu suo mari sepultum ac summersum? Et quis diffitebitur hoc validam ac potentem fuisse prædicationem cunctis nationibus infidelibus, ad annuntian- dum ipsis potentiam Dei Israël, & suppeditandum ipsis convertendi se modum & medium? Sic Jesus Christus, qui per cuncta sæcula est sola vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminabat fideles per verba legis suæ, & infideles per potentiam brachii sui; sic ubique suas effundebat & disper- tiebatur gratias. Interrogas, cur ergo omnes non sunt conversi? Non defuerunt illis nec gratiarum lumina, nec motiva effi- cacia, sed malitia ipsorum excœ-

cavit illos. Oportebat habuisse ipsos viscera duriora ære, & corda magis insensata marmore.

Jesus Christus erat, qui præ- sens fuit in Persona Prophetæ Eliæ, quando omnem adhibuit contentionem, ut converteret Regem Ahab & perfidam Jeza- bel, quando cuncta tentavit me- dia eximendi eos cunctis illu- sionibus diabolicis, quibus in- ducebantur à falsis suis Prophe- tis ad adorandum idolum Baal, & deserendum cultum solius veri Dei, quem colebat Israël; pervertebant ipsi universum po- pulum malo suo exemplo, & tyrannicâ suâ potestate, quam gerebant in eos, cogebantque ipsos ad sui imitationem, & exe- crandam idololatriæ superstitio- nem. Quid facere potuisset vir simplex, uti erat Elias, ut cohi- beret ipse solus hunc torrentem iniquitatis, quem deducebat Rex potens & propellebat integer & numerosus quidam populus? Sed ipsemet Jesus Christus erat, Verbum omnipotens Dei Patris sui, qui velatus sub simplici spe- cie Vatis sui, edomuit Reges & populos idololatrias, omnesque falsos Prophetas, & Infernum ipsum, faciens prodigia clariùs resonantia ipsis tonitruis, adeo- que per universum auscultata or- bem.

Dicite, nationes infideles, in- gentium horum prodigiorum splen-

Jesus Christus  
erat in Eliæ  
ad prædica-  
dum Regi  
Achab.



3. Reg. 18.

splendores, nonne omnium vestros percussere & percussere oculos? Quem ex vobis latere potuit memorandæ hujus successus pugnae inter solum Prophetam Eliam, omnis auxilii humani destitutum genere, & quadringentos quinquaginta falsos Prophetas idoli Baal, munitos potentia Regis Achab, falso stimulos zelo indomitæ ac effroenis Reginae Jezabel, animatos præsentia numerosissimi applaudentis sibi populi. Amphitheatrum erat mons Carmelus, spectatores erant cælum & infernus, à quibus causa fuerat decidenda: agebatur de verâ, vel de falsâ religione, de adorando vero Deo, vel annihilando prorsus ipsius cultu, in populo ipsum unice adhuc agnoscente: Tentandum est experimentum tam evidens, tamque manifestum, ut nulli mortalium dubitare amplius de eo liceret. Vos, qui constituitis exercitum falsorum Prophetarum, existimato vestro Deo Baal offerte victimam, non apponentes ipsi ignem, à quo consumatur. Et ego, dicit Elias, offeram quoque victimam soli Deo vero Israël, quem adoro: non solum nullum mihi apponi desidero ignem; sed perfundite altare meum, victimam meam & ligna tantâ, quanta vobis placuerit, aquarum abundantia:

Qui descendere faciet ignem de cælo ad consumendum suum sacrificium, ipsius agnoscat Deus pro solo Deo vero.

Incipite falsi Prophetæ; pluri mi enim sunt vestrum: Exposcite ignem à Deo vestro Baal; certus sum, ipsi ignem non desse, sed è cælo non est hic ignis: ardet is in medio ignis infernalis; sic incassum omnino clamabitis; neque enim evocabit is ignem è cælo, sed potius vos secum aget præcipites in ignem inferni. Vociferantur universi à mane usque ad meridiem *Baal exaudi nos*, Baal exaudi Prophetas tuos; incidabant se cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine, ut vel hujus aspectu commoveretur ad compassionem, at oburdescit ad preces eorum. Elias quinque vel sex verba accenso fervore plena emittit in cælos: Deus Israël, ostende hic nobis, te solum esse Deum verum; & ecce tibi ignis de cælo descendit, & devorat victimam, lignum altare, lapides, aquam & pulverem terræ, quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus: Tu solus es, quem adorare oportet. Offerte ergo illi mox sacrificium; dixit illis Elias; apprehendite & occidite ipsi Prophetas Baal, quos cum apprehendissent,

Ssss 3

dissent,

Prodigiosum  
miraculum  
Prophetæ  
Eliæ, ad con-  
fundendum  
falsos Pro-  
phetas Baal.



dissent, interfecit eos Elias, & ne unus quidem effugit eorum: Ite, ite omnes cum vestro Baal, æterna estote victima ignis infernalis.

Omnes nationes infideles ignorare non poterunt veritatem.

An forsan hoc erat opus, quod effugere potuit notitiam alicujus hominis in terra? Omnes nationes infideles, quibus cordi erat Deorum suorum religio, an ignorarunt infamem hanc & probrosam stragem famosi hujus Baal cui famulabantur Reges, qui innumeros sui numerabat adoratores & sacrificolas? Ah! quid dicere poterant ad hoc? Quomodo obserare sibi met oculos, ne clarè viderent, solum Deum verum esse, quem oporteat adorare? Nonne dicatis, Jesum Christum, qui operabatur omnia hæc prodigia in Propheta suo Eliâ, à quo repræsentabatur, elatâ prædicasse voce per hoc cunctis infidelibus nationibus veritatem, ipsisque copiosissimas exhibuisse hoc prædicandi genere gratias? Et dubitabitis adhuc de veritate effati hujus Evangelici: Jesus Christus est vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum?

Procul dubio, fatetur Onestimus, hoc satis superque demonstrat: si suum illuminavit populum per verba legis suæ, illuminavit quoque sufficienter reliquos homines per opera manuum suarum: abundè satis fuerant illuminati, si aperire voluissent oculos ad cognoscendam falsorum Deorum suorum vanitatem, & veritatem solius Dei omnipotentis omnia hæc operantis prodigia. Sed verum tamen semper est, ipsos non habuisse Prophetas, sicut habebant Judæi. Admiror Jesum Christum, qui vult salutem omnium, qui que sanctificat homines per suam gratiam in veteri Testamento non minus, quam in novo, non misisse Prophetas Missionarios idololatriæ, sicut nunc mittit infidelibus populis, ad convertendum illos. Sed nonne misit Prophetam Jonam in Niniven, quæ infidelis erat civitas? Exemplum hoc misericordix Jesu Christi erga animas maximâ ignorantia veri Dei sepultos, videtur mihi admirabile: nescio an id unquam consideraveritis.

ARGU-



## ARGUMENTUM.

*JEsus Christus illuminat & convertit Ninivitas per Prophetam Jonam.*

## ARTICULUS II.

Diodorus Siculus lib. 3. rerum antiquarum c. 1.

Qualis civitas fuerit Ninive.

**N**inive erat civitatum maxima, qualis unquam ædificata fuerat in terrâ, & forsân post illam non est, quæ adæquet ipsam vel amplitudine, vel magnificentia. Fuit exstructa à Nino Rege Assyriorum, è cujus nomine sortita est quoque denominationem Ninive. Muri ipsius continebant sexaginta milia pedes, id est, viginti miliaria Gallica in rotunditate & circuitu; centum pedes in altitudine, tantæque erant latitudinis & crassitiei, ut ternæ unâ fronte Rhedæ incedere illic possent commodissimè: Erat munita turribus quindecies centenis, continente quâlibet in altitudine pedes ducentos; tantâ scatebat populi multitudine, ut videretur esse congregatio universalis totius generis humani.

Sed juxta morem magnarum civitatum, multitudo criminum ejus longè transcendebat multitudinem habitatorum; eousque ascendebant ipsius iniquitates, ut superarent plurimùm murorum turriumque quibus cingebatur, sublimitatem: nulla erat illic veri Dei notitia, incognita erat veritas, omnes inde exula-

bant virtutes, & cuncta ex adverso dominabantur vitia: jus ibi dicebatur nullum, nulla stantiebantur proemia bonis, decernebantur nulla supplicia malis: cunctæ bonæ leges erant illic abolitæ, prorsus extinctæ, nec alias agnoscebat quisquam quàm illas indomitorum suorum affectuum ac desideriorum.

Ecce tibi Niniven mundi abominationem, quæ sola erat idonea ad fatigandum omnem patientiam cæli, addendumque illi stimulos, ut sua, intorqueret fulmina super universum orbem. Verùm sicut egregiè dicit sanctus Basilius Seleuciensis, iniquitates & flagitia Ninives, quæ transcenderant omnes naturæ limites, non adæquabant adhuc infinitam magnitudinem misericordiarum Dei, nec gratiarum Redemptoris JEsu Christi, qui in arcanis æternitatis suæ esse voluit Salvator omnium peccatorum: hinc suas illis per insi-

gnem quemdam Missionarium offert gratias, vel potius ipsemet affert illas usque in civitatem ipsorum in persona Jonæ. Quamvis enim verum sit, ipsum semper locutum fuisse in omnibus

Basilius Seleuc. orat. 120.

JEsus Christus ingreditur Niniven in persona Jonæ.



Jonas erat fi-  
gura specialis  
Jesu Christi.

bus Prophetis; nihilominus de nullo tantam habemus certitudinem sicut de hoc; cum ipsemet Jesus insinuare nobis in Evangelio voluerit, Jonam esse figuram sui, seque esse veritatem in ipso loquentem. Nonne promittebat Judæis volentibus ab ipso videre miracula, quod vellet illis ostendere majora, quam illud Jonæ Prophetæ: Fuit is tribus diebus absorptus à mari, & quasi sepultus in ventre ceti, & nihilominus non devoravit ipsum mors: sed post tres dies totidemque noctes ipsum vivum supra littus evomit balæna. Adumbrabat hoc insigne illud miraculum Jesu Christi tres omnino dies commorantis in sepulchro, quem cum mors deglutisset in cruce, non devoravit ipsum in sepulchro; siquidem post tres dies propriâ suâ resuscitatus est virtute. Ecce tibi Jonam in Jesu Christo, velut figuram, quæ obvelabat veritatem; Et ecce tibi Jesum Christum in Jona, velut veritatem in suâ figurâ. Hinc etiam interpretes sacræ scripturæ tradunt, Jonam fuisse unum ex iis, qui resurrexerunt cum Jesu Christo, & ascendisse corpore & animâ cum ipso in cælum: unde & nomen ejus insertum est catalogo sanctorum.

Cornel. à La-  
pide.

Existimandum igitur est, quod, quando videtur Jonas ingre-

diens Niniven, sit ipsemet Jesus Christus, afferens illis lumen veritatis ad dissipandum tenebras ignorantiae ipsorum, & inspirandum illis affectum poenitentiae, quâ mediante eximerentur à servitute peccatorum suorum: Consulto voluit Deus apparere ibi Jonam, velut incognitum. Quisnam est hic? Nescitur, nisi quod sit extraneus, nullo stipatus comitatu & nihil ferme habens splendoris, parum existimationis. Unde veniat, non constat, nisi quod dicatur, evomuisse ipsum piscem magnum nostra super littora. Quid acturus negotii? Locuturus nobis de Deo, quem non novimus, & ipsius nomine minitaturus nobis, quod intra quadraginta dies civitas nostra sit subvertenda, demolienda, solo æquanda.

Quâ ratione debebant recipere hunc hominem, juxta usitatum rerum humanarum curriculum? Aliqui dixissent: Est stolidus; irridendus est ergo velut expertus rationis: dixissent alii; Temerarius est & insolens, dum intentare nobis minas audet, quas sustineremus neutiquam, profectas licet à potentissimo, quem foveat tellus, Monarcha: Quænam enim sit tanta potestas, cui sint vires nostram demoliendi urbem, quæ sibi in terris non habet æqualem? Alii dixissent: seditiosus est, perturbare nos,

Quare Jonas  
apparuit in  
Ninive velut  
pauper & incog-  
nitus.

Quantum  
prodigium,  
quod Jonas  
non statim  
ab initio sit  
occisus à Ni-  
nive.



nos volens & feminare inter nos discordias; obruatur lapidibus vel discerpatur in frusta vel manifestus totius civitatis adversarius; & fortassis ceu terræ vermiculum obtrivissent ipsum, nisi Deus obtulisset. Et profectò genus est quoddam miraculi, quòd mox ab initio non ita exceperint ipsum; erant enim homines omninò absorpti voluptatibus, qui occini sibi ea non sinebant, quæ quidquam pariebant fastidii: Erant homines arrogantes, quibus inolitum non erat ejusmodi tolerare & absorbere minas. Rex, qui tunc sedebat ad clavum in Ninive, erat Sardanapalus, juxta observationem sancti Augustini & sancti Hieronymi, qui scribunt, Jonam contemporaneum fuisse Prophetis Abdiæ, Oseæ, Joëli & Amos, sub regno Ieroboam & Azariæ Regum in Israël, paulò ante foundationem Urbis Romæ. Et Sardanapalus eodem tempore regnabat in Ninive, ubi fuit ultimus Regum Assyriorum, juxta mentem Eusebii & sancti Augustini, omniumque Historicorum profanorum, qui illa descriperunt tempora.

Sufficit solum pronuntiâsse nomen Sardanapali, ad intelligendum, quam bruta tunc inundârint facinora, infames spurcitiæ, sordes abominandæ tum in Rege, tum in plebe, cum

hæc plerumque illius premat vestigia, ad ipsius se componat exempla. An deterior in toto mundo poterat esse dispositio ad excipiendum benigne pauperem quemdam & simplicem Missionarium, & hunc quidem incognitum, qui in mandatis habebat prædicare illis pœnitentiam, cum comminatione infligendæ calamitatis, quæ excogitari poterat, crudelissimæ? Ipsemet Jonas, qui velut homo cuncta hæc obstacula probè considerabat, haud leviter ab inusitatâ hæc abhorrebat provinciâ, à Deo sibi impositâ; intuebatur hoc consilium velut impossibile, & periculum ex eo sibi imminens velut inevitabile; ita ut percussus terrore attentaverit consulere sibi fugâ, seque abscondere à facie Domini, ut se fastidiosâ hæc exoneraret provinciâ; extra culpam se credens ponendum, quòd videret omnes suas vires humanas fore impares huic negotio exantlando.

Bonum equidem hoc foret, Jona, si ipsimet tibi exequendum incumberet id munus. Sed, ut verum fatear, Jonas non erat Jonas, id est; Jonas, qui oculis conspiciebatur humanis, quiq; loquebatur voce sensibili ad aures corporis, non erat verus Jonas magnus ille cœli Missionarius, qui operari debebat

Tttt

conver-

Jesus Christus  
erat verus Jo-  
nas, qui con-  
vertebat Ni-  
nivea.

S. Aug. de  
civit. lib. 18.  
c. 27.  
S. Hieron. su-  
per Amos,

Difficultates  
missionis Jo-  
næ,



conversionem Ninivitarum. Erat Iesus Christus ipsemet, qui id moliebatur negotii, absconditus sub tenui ac debili Jonæ specie, velut veritas sub suæ involucri figuræ. Erat Verbum Omnipotens Dei Patris sui, quod splendore verbi sui concusserat tremore totam civitatem Niniven, à Rege usque ad incolarum novissimum. Erat misericordissimus omnium peccatorum Salvator, qui suas ipsis afferebat gratias usque ad cordis intima, feriente exterius ipsorum aures voce suâ. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, conspiciendam se exhibens in Propheta suo, velut sub tenui nube; illorum mentibus non solum afferens splendidum lumen veritatis, sed etiam accendens ignem omnino divinum, calorem vivificantem in anima & corde eorum, sicut egregie dicit S. Augustinus: *Ipsum enim penetravit verbi calor.*

In Psal. 13.

Et nonne constat nobis, neminem convertere posse peccatores, nisi illum, qui conferre suam ipsis potest sanctificantem gratiam? Nonne verum est, neminem salvare posse, nisi solum Salvatorem? Quando igitur conversam video Niniven per prædicationem veritatis, dico: Ecce Iesus Christus, ipse lux est, quæ illuminat omnem homi-

nem venientem in hunc mundum; ipse est, qui suos ipsis aperuit oculos. Quando salvam intueor ipsam per sanctissimæ opera poenitentiae, dico: Ecce opus gratiae Salvatoris hominum. Jam unicus hic Salvator peccatorum est Iesus Christus; certum igitur est, ipsum illic fuisse in persona Jonæ: ostendit ergo ab initio, se æquè Deum esse gentilium ac Judæorum: procuravit igitur salutem amborum, suas utrisque conferens gratias, cum veram pro omnibus habuerit moriendi voluntatem. Ecce tibi jam aliquid; sed plus est, si consideres ipsorum opera, quæ ratione se gesserint in exercenda admirabili hæc poenitentia; luculenter perspicias Iesum Christum ipsis prædicantem, ipsosque convertentem, & Jonam tuis subducturum se oculis.

Jonas non prædicavit per quadragesimam integram in Ninive, non contextuit longos ipsis sermones; sed quinque aut sex enuntians verba voce elatâ, validâ ac robustâ, per omnes magnæ hujus civitatis plateas, clamavit continuo, nihil capiens quietis per diem integrum: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Ecce totam ipsius, quæ in Scri-

Jonæ. 3.



Prædicatio  
 Jona fuit bre-  
 vis & incapax  
 ad converten-  
 dos Niuivitas.  
 ptura refertur, concionis feriem.  
 Et res mira! omnes se ita sensē-  
 re commotos, ut omnes à Rege,  
 usque ad novissimum populi  
 tam memorandæ ceperint consi-  
 lilia pœnitentiæ, cujus memo-  
 riam cuncta per sæcula nulla  
 deletura sit oblivio. Rex è suo  
 descendit folio, prosternit se ge-  
 nibus & facie in terram, & exu-  
 tus purpuram induit se cilicio,  
 diademate deposito aspergit ca-  
 put cinere, suūque incipit  
 percutere pectus, effusus in la-  
 crymas inclamat misericordiam:  
 Regis exemplo omnes quoque  
 Magnates, sacco induti & cili-  
 cia humiliarunt se coram Deo;  
 quorum vestigiis insists omnis  
 populus, cooperti sacco appa-  
 ruerunt omnes & conspersi ci-  
 nere: à *majori usque ad minorem.*  
 Omnes, omnes, nullo excepto,  
 à maximo usque ad minimum,  
 lacrymarum inundarunt diluvio  
 totam civitatem, ut accensum  
 extinguerent ignem iracundiæ  
 magni Dei.

Magna pœ-  
 nitentia Ni-  
 uivitarum.

Ex mandato Regis indicitur  
 jejunium universale, à quo exi-  
 mitur nemo, idque tam seve-  
 rum, ut inhibitum fuerit & cun-  
 ctis viris & cunctis fœminis, ipsis  
 etiam infantibus, quin immò ip-  
 sis jumentis, capere quidquam  
 aut cibi aut potūs, nec aquæ  
 quidem guttulam. Matres sua  
 non porrigebant infantibus ube-  
 ra, & omnes bestię suo destitu-

ta manebant alimento: misera-  
 biles infantium clamores, hor-  
 ribiles jumentorum omnium  
 mugitus, juncti gemitibus & la-  
 crymis omnium peccatorum,  
 constituerunt velut exercitum  
 sanctum ad opponendum se ira-  
 cundiæ Dei; tantique roboris  
 ipsorum fuerunt machinationes,  
 ut Omnipotentis Dei exarmarent  
 justitiam, excusserint ipsi è ma-  
 nibus fulmina, quibus contere-  
 re illos jam fuerat accinctus. Tan-  
 dem piâ quâdam violentiâ coë-  
 gerunt ipsum, ut largiretur om-  
 nibus benignam, quam efflagi-  
 tabant, misericordiam.

Quæro jam, quæ est hæc vir-  
 tus, cui robur erat tam ingen-  
 tia operandi prodigia in tantâ  
 multitudine hominum scelerato-  
 rum, idololatrarum, converso-  
 rum in jumenta suorum turpi-  
 tudine vitiorum? Erantne quin-  
 que hæc aut sex verba ex ore  
 visibilis hujus Jonæ, quem aspi-  
 ciebant coram, profecta? Non  
 utitur ipse aliquâ sermonis con-  
 cinnitate, ut suis consentire fa-  
 ciat illos votis; & omnes con-  
 sentiunt, omnes flectuntur, con-  
 vincuntur omnes: non allegat  
 ipsis ullam rationem, vel ullum  
 motivum, quo extimulentur  
 ad amplectendum pœnitentiam,  
 & omnes unanimi sensu ample-  
 ctuntur illam. Non lætat illos  
 vel spe minima obtinendi indul-  
 gentiam à Deo, si exquirent  
 illam;



Minabilis  
conversio  
Ninivitarum.

illam; & omnes summam concipiunt animo fiduciam, obtenturos se misericordiam. Quis tam repente operatur hæc omnia in cordibus obcecatis, depravatis, prorsus obduratis in omni malitiæ genere? Quis non videt, hunc esse non posse pauperem hunc ac simplicem hominem, quem nuncupant Jonam? Haud parum fuisset, si duos vel tres solummodo movere potuisset ex iis per pauca hæc, quæ prolocutus est, verba. Sed intuetur usque ad cordis intima commotos, transfixos & confossos, confessosque se reos ipsos omnes, omnino mutatos in homines alios, veluti de novo creatos, omnes sanctâ contra se ipsos accensos indignatione, & desiderio ulciscendi de se tanto cum rigore injuriam Dei; & unico verbo, omnes conversos, omnes, omnes, nec unico quidem excepto: ubi est tantæ potestas virtutis ad producendum effectum tam prodigiosum, tamque cunctis inauditum factis?

Tota conversio Ninivitarum attribuitur Jesu Christo.

Tu non es Jona visibilis ac mortalis, Tu solus es, ô Verbum adorandum, Veritas æterna; Tu es, Omnipotens Redemptor hominum; Tu ipse es, ô JESU, qui præsens ibi eras, absconditus sub tenui Prophetæ hujus specie ac formâ: divina tua erant lumina quæ in mo-

mento penetrârunt ipsorum animos, ipsorum corda, ipsisque ob oculos posuerunt suorum enormitatem criminum, & æternorum suppliciorum, quæ promeriti fuissent, magnitudinem, ad incutiendum illis judiciorum tuorum timorem; erat quoque bonitatis tuæ æternæ indulgentia, quæ animabat ipsos ad concipiendam spem miserationum tuarum. Quando ergo apparet nobis effectus omnino manifestus, tamque stupendus, ut omnes facultates humanæ simul unitæ ipsi producendo forent impares; ubi est cæcus, qui non videat, digitum Dei esse hic? Ecce tibi salutem universalem totius civitatis; est ergo Salvator universalis omnium peccatorum, qui operatus est illam: Id certum est mihi, id video, dubitare de eo non possum.

Verum est, concludit Onesimus, luculentum hoc esse experimentum, quod JESUS CHRISTUS se æquè monstraverit Salvatorem gentilium ac Judæorum. Et licet historias non habeamus circa ea, quæ fecit in favorem omnium aliarum nationum infidelium, neque legamus, quod miserit illis quoque Prophetas ac Prædicatores, ad convertendum ipsos: nihilominus merito dubitare haud licet nobis, quin supeditaverit ipsis vel per seipsum, Credere possumus, JESUM CHRISTUM laborasse in conversione omnium gentilium ante Incarnationem,  
vel



vel per aliam viam nobis incognitam, omnia ad consequendam salutem suam media necessaria, cum articulus sit fidei, ipsum universalem esse omnium peccatorum Salvatorem; nulla mihi dubitandi suppetit ratio, quin exercuerit semper secundum omnem charitatis suæ latitudinem, impositum sibi Redemptoris munus ac officium. Si dicatur mihi: unde id nōsti, cum nullum nobis extet hāc super re in antiquis historiis testimonium; Respondebo: me magis credere cordi ipsius ardentem salutem omnium peccatorum

desideranti, quātm crederem cunctis hominum narrationibus: Nonne enim constat, non omnia, quæ facta sunt, esse quōque calamo consignata?

Unum est, quod admiror, adjungit Onesimus. Et est, quod cum ipsemet laboraverit in persona & omninō manifeste in procuranda salute nationis Judaicæ, quibus velut Messias fuerat promissus, tam paucos tamen converterit ex ipsis. Ah! ut hoc efficeret, quid non fecit? Audi, quid mihi hāc in re stupendum, & consideratione dignum videatur.

## ARGUMENTUM.

*Magnus zelus, quem Jesus Christus ostendit pro conversione Judæorum.*

### ARTICULUS. III.

Quid non fecit ad lucrandum rebellē ac protervum hunc populum? Nutriērat ipsos per omnem elapsorum faculorum seriem promissionibus, quod venturus ad ipsos, & daturus se totum ipsis esset; sed eodem tempore admonuerat illos calamitatis in quam dilapsuri essent in maxima felicitate suā constituti per hoc, quod, postquam ipsum tamdiu expectārent, tamque ardentem desiderārent absentem, repudiaturi, nec admissuri essent presentem.

Ut contra hanc calamitatem Judæi habebant promissionem Messias, & vaticinium, quod ipsum repudiaturi essent. præcaveret ac prospiceret ipsis, depingi se fecit sub pluribus figuris, quarum nonnullæ exhibebant divinas ipsius excellentias, aliæ abjectiones & infirmitates ipsius humanas; ut ipsum agnoscerent, nec admirarentur videntes in ipso tantas excellentias, tantasque abjectiones, tantum potentia, tantumque infirmitatis; videntes conficere ipsum opera, quæ possibilia non sunt, nisi Deo, veluti miracula; & iterum videntes tolerare ipsum mala,



mala, quæ Deo non sunt possibilia, velut dolores, contemptus, mors. Omnia hæc prædicta & repræsentata fuerant in figuris suis, ut agnoscerent, Messiam suum esse verum Deum, tanquam facientem ea, quæ non conveniunt nisi Deo; & verè etiam esse hominem, utpote tolerantem ea, quæ non nisi sunt congrua homini. Sed populus hic eòsque has adamavit figuras, ut unicè adhæserit iis, contemnendo etiam repræsentatam sub illis figuris veritatem, illamque repudiandò, præstituto tempore adventuram. Magni amatores promissionis, magni osiores executionis, adoratores Messie absentis, persecutores Messie præsentis.

Repudium  
Judæorum  
non impedi-  
vit bonitatem  
Dei erga il-  
los.

Cuncta hæc repudia non impedièrunt, quin fidelissimè servaret ipsis promissiones suas. Voluit nasci homo inter ipsos, & proximà illis necessitudine conjungi; devovit se totum ipsis à nativitate suâ; sicque unicè invigilavit saluti Israël's velut dilecti populi sui, ut illam aliis noluerit concedere. Sed ipsemet officium sibi assumpsit instruendi illos proprio ore suo, prædicans absque intermissione in templo, in synagogis, in vicis, in villis, in compitis, in publicis plateis, in desertis, in omni tempore, in omni loco, & cujuscunque conditionis per-

sonis, illis evidentissimè demonstrans, se verum esse Messiam Patribus ipsorum promissum, cessare jam figuras in præsentia veritatis, quam viderent; & probationes ab eo ipsis allatæ tam erant manifestæ, ut contradicere illis non possent. Et nihilominus nunquam non adhærebant promissionibus & figuris suis, non æstimantes earundem adimpletionem, nec ipsam veritatem, quam habebant præsentem.

Quid agat, ut obstringeret ipsos ad recipiendum illam? Expectabant, quod venturus Messias liberaturus ipsos esset à suis miseris ipsique accumulandi forent omni ab eo felicitate. Et ni bonorum ipse, ut demonstraret illis, quòd haberent in se omnia, quæ exoptare possent, incessanter replevit ipsos bonis; cunctis ipsorum medebatur malis, sanavit ipsorum infirmos, resuscitavit ipsorum mortuos, liberavit ipsorum obsessos, illuminavit ipsorum cæcos, restituit sanitatem ipsorum leprosis & Paralyticis, suppeditavit ipsis panem in ipsorum necessitatibus. Et cuncta hæc sine numero miracula ab eo in ipsorum utilitatem facta, erant simul luculenta Omnipotentie Dei argumenta, quæ convincere debebant ipsorum animos, illisque persuadere, ipsum verè esse Filium Dei; erant beneficia  
offi-

Jesus Christus  
locupletavit  
Judæos om-  
ni bonorum  
generè,

Jud  
run  
ran  
pla  
Chr



officiosissima; quæ lucrari debebant omnia ipsorum corda, illisque demonstrare, quod verè verus esset Messias. Et nihilominus inhærebant ipsi semper figuris ac promissionibus suis, citra quòd aperire vellent oculos, ad videndum, habere jam se illarum adimplerionem.

Ampliora adhuc fecit his omnibus, adjungens sermonibus & miraculis suis exempla vitæ prorsus divinæ, cujus vel minima actio virtutem habebat omnium hominum abripiendi corda. O Deus! si quis propriis usurpâset oculis exempla vitæ Filii Dei! O nimium felix populus, si suam cognoscere potuisset felicitatem! Et JESUS Christus ipsemet dicebat illis: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; & beatæ aures, quæ audiunt, quæ vos auditis; quot Reges & mundi Optimates crederent se beatos, si viderent, quæ vos videtis, & non viderunt? Quot desiderabunt audire, quæ vos auditis, & nunquam audient ea ex ore meo? Nimium felix populus, qui favoribus repletus est cæli super omnes alias nationes mundi? Possidebant ipsi soli summam felicitatem mundi in Persona JESU Christi; primariò & principaliter is datus est ipsis; in medio eorum operatus est mundi salutem; in manus ipsorum effudit divites

honorum cælestium thesauros, quos secum attulerat in terram; in aures ipsorum ipsemet inseruit divinæ suæ oracula sapientiæ; coram oculis ipsorum omnia hæc ingentia patravit miracula; in ipsos, unico verbo, effundere voluit omnem gratiarum suarum abundantiam. Videntur habuisse ipsi & illarum præcipuas, & omnem ipsarum plenitudinem; & reliquos omnes homines non habuisse illas nisi post ipsos; & si ita loqui licet, nos non habuimus nisi ipsorum fragmenta & reliquias: & nihilominus nimium infelix populus; ipsi soli ex cunctis hominibus, hauserunt minimum ex illis emolumentum.

A quo & per quem stetit, quò minus hauserint? An JESUM JESUS CHRISTUS traxit post se Judæos suis concionibus, Christum destituit zelus, charitas, sollicitudo, cura & labor in procuranda verè ipsorum salute? Turmatim sequebantur ipsum prædicantem, usque ad interiora deserti; omnes avidissimè desiderabant, omnes admirabantur ipsius doctrinam; verum quàm pauci ex iis fuere conversi? Unde hoc est? Et, quòd licet prædicaverit cum admiratione omnium, non tamen prædicaverit ad omnium gustum & placitum. Philo Judæus Philo lib. de observavit, magnum esse discrimen inter Medicum & coquum. Joseph. Medicus in præparandis suis medica-

Judæi viderunt admiranda exempla vitæ JESU Christi.

Christus  
etavit  
s omn-  
orum



dicamentis non aliud intendit, nisi ut conducant sanitati sui ægroti, non attendendo, an sint ad ipsius gustum: Ex aduerso coquus aliò non collimat, nisi ut cibos condiat & accommodet juxta gustum sui Domini, haud sollicitus, an profuturi vel obfuturi sint ipsius incolumitati. Plerique homines malunt Prædicatorem coquum, quàm prædicatorem Medicum, quia quærent quod placet, non quòd prodest.

Quare Iesus Christus, qui traherat post se omnes, converterit ex his tam paucos.

Iesus Christus prædicabat velut cœlestis Medicus, aliò non collimans, nisi ut incolumes & sanas redderet animas; proponebat res saluberrimas & infinità ratione proficuas, sed auditu minùs iucundas: verum quidem est, catervatim omnes confluisse ad ipsum, facilèsque & avidas præbuisse ipsi aures, cujus rationem facile est ominari. Ex unà parte semper veritas tantæ ex seipsà est pulchritudinis, ut omnis animus ipsam auscultandi teneatur desiderio; & ex alià tam divinæ eloquentiæ diffuebant ipsius labia dulcore, ut voluptas in auditores dimanans, affixas ipsius ori constringeret & teneret illorum aures. Ecce cur totus mundus abièrit post ipsum. Sed quòd tam dulce tamque iucundum videbatur ipsis auditu, amarum & inamœnum erat factu: siqui-

dem loquebatur ipsis de pœnitentià & inordinatorum affectuum mortificatione; loquebatur ipsis de humilitate, contemptu sui ipsius, de abnegatione propriæ voluntatis; prædicabat illis de expoliatione facultatum terrenarum, de deferendis rebus omnibus ad amplectendam ipsius sequelam, nihilque anhelando, nisi suæ complexum Crucis. Homines tam carnales, uti Judæi erant, non afficiebantur doctrinà adeò spirituali, tamque propensionibus suis naturalibus amarà. Ecce quare, dum omnes admirabantur ipsius doctrinam, deprædicabant ipsius eloquentiam, ita ut dicerent, nunquam sic locutus est homo, paucissimi tamen conversi sint, quia facere noluerunt, quòd audierunt.

Verùm si Iesus Christus voluisset, replicat desuper Onelimus, nonne lucrari tam benè potuisset ipsorum corda, quàm ipsorum aures? Nonne conferre potuisset ipsis omnibus se convertendi voluntatem, sicut conferebat omnibus suam circa hoc doctrinam & cognitionem? Nonne tam efficaces possidet gratias, quibus nulla, obfirmatissima quamvis, resistere possit duritia, cum ideò dentur, ut duritiam auferant cordis? Et nonne ipsemet dixit nobis, quòd tam potens sit Deus, ut suscitare possit

Iesus Christus poterat convertere omnes Judæos.



possit de lapidibus filios Abraham? Quare non usus est hæc potestate? Videtur decuisse, ut universum hunc converteret populum, pro quo venerat præcipuè; si enim illorum nullus in suâ perseverasset proterviâ, haud levis in ipsum dimanasset gloria.

Quare id non fecerit.

Non diffiteor hæc, respondit Ecclesiasticus. Novi Omnipotentem esse Deum, qui efficere possit, ut sibi obtemperaretur à voluntate hominum, sicut obtemperare sibi facit cælos, astra, elementa & omnes alias creaturas ratione privatas; sed hoc non fieret, nisi privando ipsam insigni illo libertatis suæ privilegio, quod contulerat ipsi, quod sanè foret ipsam pessumdare potiùs, quàm perficere. Novi mutare ipsum posse lapides in filios Abraham, eòquod non reliquerit libertatem lapidibus resistendi sibi; verùm non mutabit filios Abraham in lapides, eòquod ablaturus nunquam sit hominibus libertatem semel ipsis concessam. Novi possidere ipsum gratias tam efficaces, ut tollere possint omnem humani cordis duritiam, illudque flectere ad faciendum omnia, quæ voluerit; sed provisum est, ne cor humanum protervâ quâdam resistat malitiâ si enim obtemperare noluerit præpotentibus gratiæ ipsius impulsibus, nunquam ad hoc cogetur ab eo, faciendo vim libertati ipsius.

Ah! nonnè proterva hæc cordis Judaici resistentia vera origo & causa est, cur tam paucos converterit Iesus Christus ex infelici hoc populo? Nonnè horrenda hæc ipsorum obdurtio sæpius ipsius palpebris expressit lacrymas? Quando evocavit è monumento Lazarum, ubi quatruiduanus jam erat, prodigiosum hoc miraculum, quod patrârat coram numerosâ multitudine Optimatum Jerosolymitarum, erat concio tam pathetica, ciendisque animi motibus opportuna, ut ad centenos convertendum mundos abundè fuisset idonea. Et nihilominus, quia videbat in corde Judæorum dispositiones tam malignas, tam depravatas, duras ac protervas, ut non tantùm exinde nec minimùm sint emolliti, sed majori adhuc in ipsum succensibili rabie, ita ut maledicto consilio sævam ipsi machinarentur mortem, hancque & ipsi inferre Lazaro jam fixum haberent animo; afflixit se, turbatus est spiritu, juxta phrasim sancti Evangelii, copiosas effundit lacrymas, & elatâ exclamat voce, ipsorum deplorante duritiam: *Tollite lapidem, tollite lapidem: auferite hanc petram, removete mihi hanc duritiam, quæ obturat aures vestras voci meæ, quæque corda vestra meis obsecrat & occludit gratis.*

Iesus Christus deploravit duritiam Judæorum, converti nollentium,

Uuuu

Non

Iesus Christus erat co-tere om-Judæos



Non deplorabat is Lazarum; noverat enim ipsum mox à se restituendum vitæ, sed æternam protervorum illorum lugebat & deflebat mortem, quam quidem noluit, sed impedire non potuit, eòquòd inferre noluerit vim ipsorum libertati, quam ad invincibilem resistantiam jam viderat determinatam. Hæc est opinio, suntque ipsa verba sancti Chrysologi: Videbat Judæorum corda obstructiora inferis, viscera duriora mortuis; ejusque vox, quæ patefecerat tartara, non patefaciebat eorum arcana, justio, quæ exsuscitat mortuum, non suscitabat mentem ipsorum; lux, quæ illustrat sepulchrum, illorum non illuminabat animum. Ecce originem lacrymarum ipsius; ecce causam doloris & clamoris ipsius, dum exhortatur: Tollite lapidem, auferite mihi hanc cordium vestrorum duritiem, quæ omnes gratiarum mearum inflexibilitate suâ facit irritos conatus. Quid poterat ultra facere ad vincendum hos invincibiles? Loquitur ipsorum auribus per sermones suos, loquitur ipsorum cordibus per gratias suas, loquitur ipsorum oculis per miracula sua, loquitur ipsorum manibus per beneficia sua, accumulat ipsos favoribus tot ac tantis, quibus ipsos emolliendi scopulos abundè fuisset roboris; plorat & dolet

coram illis de proterviâ & perditione ipsorum, quam quidem non vult, sed impedire non potest, quia non vult inferre vim libertati ipsorum? Si ergò non omnes flectantur, non omnes convertantur, quis non videt, non esse ipsum in mora, sed omnem proficisci culpam à duritiâ & invincibili ipsorum resistantiâ?

Dicas mihi, quidquid volueris, replicat denuò Onetimus; novi tamen victrices habere Deum gratias, quas confert, cui voluerit, quæque infallibiliter semper suum consequentur effectum. Si JESUS CHRISTUS verâ voluisset voluntate conversionem totius nationis Judaicæ, obtinisset illam tam absolute, ut nec unicus remansisset ex illis in cæca suâ proterviâ, & protervâ suâ cæcitate. Quid prodest me dicere, ipsum tanta fecisse pro illis, ipsosque habuisse gratias sufficientes, & plusquam sufficientes, quarum adminiculo convertere se potuissent, si voluissent? Cui sunt bono hæ gratiæ sufficientes omnes, quæ solæ non sufficiunt ad unicam salvandum animam? Ut quid non dedit illis gratias has ex seipsis efficaces, nostræque victrices resistantiæ, quibus reipsâ fuissent conversi: Si voluisset ipsorum salutem, contulisset ipsis ejusmodi gratias, & verè conversus fuisset

S. Pet. Chrysolog serm. 64.

Quare JESUS CHRISTUS resuscitans Lazarum clamaverit: Tollite lapidem.

Obiectio illorum, qui volunt gratias, quæ necessitent ad faciendum bonum.



fuiſſet totus hic populus; verùm id noluit: Et quã de cauſã, haud licet interrogare. O altitudo!

Quid inquis, reponit illi Eccleſiaſticus, cujus zelus totus videbatur accenſus ex hoc diſcurſu haud leuiter aurium ſuarum offenſiuo: Quid inquis? Quòd ſi Jeſus Chriſtus verã voluiſſet voluntate ſalvare totam nationem Judaicam, conuerſiſſet illos reipſã, quia dediſſet ipsis gratias has ex ſe ipsis efficaces, quæ operantur ſalutem animarum, & non tantùm gratias has ſufficientes, quæ non ſufficiunt. An dicere audeas, quòd Jeſus Chriſtus nullatenus voluerit conuerſionem & ſalutem Judæorum, immò omnium etiam peccatorum? An contradicas magno Apoſtolo ſancto Paulo, qui expreſſis id aſſerit verbis, cunctisque evulgar id ſæculis: *Vult omnes homines ſalvos fieri?* Et quare venit in terram, niſi ut ſalvaret peccatores? Oporteret plusquam hæreticum eſſe, qui oppugnare vellet hanc veritatem.

An dicas, habuiſſe illum quidem aliquam ipſos ſalvandi voluntatem, ſed hanc non fuiſſe efficacem? Hoc eſt, ac ſi dices: dicit quidem, ſe id velle, fingit ſe id deſiderare; ſed reipſã non vult, ipſo factò non deſiderat: Et ideò non confert illis has gratias, quæ reipſã ſalutem operantur, ſed alias, quæ face-

re id poſſent, & reipſã non faciunt. Itane? an concipere poſſit Chriſtianus cogitationem tam injurioſam Deo, quem adorat, ut dicere non erubeſcat, quòd fingat quidem, velle ſe ſalutem omnium peccatorum, re autem ipſã illam non velit voluntate verã & ſeriã? Hoc incompatible omnino foret cum bonitate & veritate ipſius infinitã. Si conſultò excludere quemquam velit à ſuã miſericordiã, ubi eſt ipſius bonitas? Si velit id, quòd non vult reipſã, ubi eſt ipſius veritas?

An igitur credas, magnum illum amorem, quem exhibuit toti nationi Judaicæ, non fuiſſe niſi figmentum & ſimulationem? an cogites, omnes illos labores, quos exantlavit pro ipsis, omnem illam ſolertiam, ac indefſam operam, quam impendit in docendo, movendo ac conuertendo ipſos, non fuiſſe niſi ſannas, quibus illuſerit ipsis? An dicas ſicut Calvinus, impius hic & infamis hæreſiarcha, quòd Deus vocet peccatores ad ſalutem, ſed ut non veniant; quòd ſimulet conferre ſe illis gratias, ſed non niſi, ut ſublannet eos; quòd impendat ipsis medicinam ſalutarem, ſed ne fiant incolumes. *Adhibet medicinam, ſed ne ſanentur.* Verba tam abominanda an horrore non percellant aures? Sed dicere, quòd

Uuuu 2

non

Deus vult  
ſalvare omnes  
peccatores.

Vult id ipſam  
verã voluntate.

Calvin. lib. 3.  
inſtit. c. 24.  
ſ. 13.

Blasphemia  
Calvini, quòd  
Deus vocet  
peccatores,  
ſed ut non  
reſpondeant.



non voluerit voluntate sincerissimâ salutem Judæorum & conversionem omnium peccatorum, quamvis dederit ipsis notas adeo manifestas, sed id velle, nonne hoc loqui esset eodem quasi idiomate.

Dicere, quod conferat quidem, reipsâ gratias sufficientes, quæ non sufficiant, ut perducant peccatorem ad ipsum, non autem conferat efficaces has gratias, quæ perducerent, si illas daret, nonne idem est dicere, quod dicit Calvinus? quod vocet ad salutem, sed ea mente, ut non veniatur; quod adhibeat medicinam, sed eo nomine, ut sanitas non obtineatur. Depone errorem, Onesime, JESUS Christus exhaustus est laboribus in Judæa cum verâ voluntate convertendi totam nationem Judaicam: sed illi bonæ ipsius intentioni respondere noluerunt: Deus vult verâ voluntate salutem omnium peccatorum; est enim bonitas infinita cunctis miseris facere volens benè; est veritas infinita, quæ fide & simulanter agere nescit: sed plerique peccatorum ex propriâ suâ malitia opponunt se omni, quod ipsis vult facere, bono.

Non vocat peccatores, ut non respondeant vocanti; nunquam enim aliquam dat gratiam eo nomine, ut sit inutilis, vult semper illam obtinere effe-

ctum suum; immò omnes gratias, quas confert, sunt efficaces ex parte ipsius; si peccator suum abnuat consensum, inefficaces manent ex resistantiâ suâ; semper autem erant sufficientes, id est, Deus dederat huic homini gratias, quæ sufficiebant ad ipsum convertendum, nisi ex malitiâ suâ recusasset ipsas. Si peccator assensum præbeat gratis à Deo sibi datis, habent hæ effectum, quem præterdit Deus in omnibus, quas donat, gratis; efficaces igitur sunt ipsæ; sed peccator non facit illas efficaces, sed ipsæ potiùs peccatorem faciunt efficacem (si ita loqui licet) quia illæ suaviter trahunt consensum voluntatis ipsius, quem nunquam dedisset absque gratiâ. Ipse quidem solus abnuere potest consensum suum gratiæ, & efficere, ut ipsa maneat inefficax & sufficiens; sed solus dare non potest consensum suum in bonum absque gratiâ, nec reddere efficacem, si efficax non esset ex seipsâ. Sic salus ipsius non est in solo bono usu libertatis suæ, sed in auxilio gratiæ, quæ benè ipsam facit uti libertate suâ, pro eo, quod ipsius perditio dependeat à solo libertatis suæ usu malo, Et qui aliter tibi loquetur de gratiâ Dei, & libertate humanâ fallitur.

Sed

Concordia  
admiranda  
gratiæ effi-  
cacia cum  
nostra liber-  
tate.

Omnes gra-  
tiæ sunt effi-  
caces ex par-  
te Dei.



Sed dicunt, esse nescio quid in gratia efficaci, quod non sit in sufficiente. Quid est hoc dicere, nescio quid? Estne ex parte Dei? Estne, quod unam velit facere profectum, alteram manere inutilem? hoc absque impietatis notâ non potest affirmari: id esset enim dicere cum Calvino, quod vocet aliquos, ut non respondeant, quod adhibeat medicinam, ut non sanentur. Estne id ex parte peccatoris? Sed ipse nihil potest superaddere gratiæ, nisi quod abnuat, vel præbeat illi consensum suum; si hunc abnuat, non est defectus gratiæ, sed ipse solus committit defectum: si hunc præbeat, non facit ex solis suis viribus, nec ex aliquâ virtute, quam confert gratiæ, ut reddat

ipsam efficacem; sed ipse potius virtutem recipit à gratiâ, quæ cum adjuvet virtutem ipsius naturalem, facit ipsum operari salutem suam. Ex hoc intueri tibi licet, quod omnes, qui pereunt, ex sola sua pereant culpa; quodque omnes, qui suam operantur salutem, id obtineant, per gratiam & misericordiam Salvatoris nostri. Et ex hoc denique concludo, quod, si Jesus Christus nonnisi paucissimos converterit Judæos, non sit ex eo, quod non omnem suum impenderit zelum pro salute ipsorum; quodque si omnes è gratiis ipsius non hauserint fructum, id non fuerit nisi ex solo defectu & duriâ cordis eorum.

## ARGUMENTUM.

*Jesus Christus dicit: Ego sum lux mundi. Qui videt per ipsum, admirandas invenit pulchritudines in doctrina ipsius, quas alii non percipiunt.*

## ARTICULUS IV.

Quare tam pauci sequuntur Jesum Christum in opere & veritate,

Sit verum, prosequitur Onesimus, nationem Judæorum damnasse & reprobasse seipsam, eoque, cum tota carnalis fuerit ratam & acceptam non haberit doctrinam Jesu Christi, quæ tota spiritualis est. Sed Christiani ipsam agnoscunt & adorantes velut Deum suum;

unde venit, quod tam parùm celesti ipsius oblectentur Doctrinâ? Quare tam paucos videmus, qui ipsius amplectantur affectus & sensa, quique ambulant vias sublimes, quas ostendit nobis in suo Evangelio? Si quidem dicunt omnes, quod credant, ipsum Deum esse, vi-

Uuuu 3

tamque



támque ipſus, vitam eſſe Divinam, nihilque majus eſſe, quam aſſimilari ipſi in vita ſua, affectibus ſuis, deſideriis ſuis, exercitiis ac operibus ſuis. Quare non omnes videre eſt Chriſtianos cum gaudio frequentare & currere hanc viam? Nonnulli volant in ea, hicque ſuam inveniunt felicitatem; alii nonniſi reptant per eam, & nonniſi coacti accedunt illuc; & alii carpunt viam omninò contrariam: unde hoc venit?

Joan. 8. Hoc venit, reſpondit illi Eccleſiaſticus, ex eo, quòd, cum JEſus Chriſtus ſit ſolus vera lux mundi, ſicut ſcriptum eſt: *Ego ſum lux mundi*; qui oculos non aperit ad videndam hanc lucem, nihil videat, nihilque faciat, niſi quòd dubiis manibus prætentans viam ingrediatur, in morem miſeri cujuſdam cæci. Auſculta me benè, facillimè tibi hoc oſtendam. Benè judicas, quòd, cum ſol materialis ſit lumen totius mundi viſibile ac ſenſibile, ille, qui privatus fuerit hoc lumine, videre non poſſit ullam ex cunctis pulchritudinibus naturæ; incaſum fieret de ipſis illi ſermo, omniſque in vanum impenderetur labor, ſiquis per diſcurſum vel rationem, vellet illi deſuper dare informationem, nihil enim caperet ex omnibus.

Imaginare tibi pauperem illum cæcum natum, cui JEſus Chriſtus donavit lucem, uti reſertur in Evangelio ſancti Joannis: antequàm donaretur hoc favore, vivebat in medio cunctorum creaturarum viſibilem, & illarum videbat nullam; neſciebat, quid rei eſſet totus hic mundus magnus. Valde credibile eſt, ipſum circa eum petiſſe informationem, hancque dare ipſi pro viribus ſtudiſſe ipſius amicos, quantum ſpectat ad magnitudinem, pulchram diſpoſitionem, ſplendorem ac ornatum prodigioſi huius operis manuum Dei: ſed ex omnibus, quæ ipſi dicebantur, capiebat nihil.

Sentiebat quidem aliquid ſolidi ſub pedibus ſuis. Quid eſt hoc? Eſt terra, dicebatur illi, quæ non eſt niſi minima & inſima pars mundi; & nihilominus admodum amplæ eſt latitudinis & pulchritudinis admirandæ, quæ ſummâ voluptate demulceat intuentium oculos; ſiquidem cum delectet varietas, videre eſt hic varietatem maximam camporum, collium, prætorum, nemorum, rivorum, montium, vallium, climatùmque valde diverſorum: videre eſt hic per certos tractus & ſpacia civitates magnas, quæ non ſunt niſi congeries magnificorum palatiorum pulchro ordine

nc

Joan. 9.  
Cæcus natus  
comprehendi  
dere non po-  
teſt aliquam  
pulchritudi-  
nem viſibi-  
lem.

Non compre-  
hendit, quo-  
modo terra  
ſit facta.



ne dispositorum, pro commoditate & oblectatione plurimorum incolarum simul in hisce civitatibus habitantium, quorum unusquisque suam exornat & instruit domum pretiosâ suppellectile, eximiiis picturis, & aliis curiositatibus haud parùm oblectantibus aspicientium tum oculos, tum animos. Infelix hic homo, qui oculis caret, nec novit, quid sit videre, audit hæc omnia cum aliquali satisfactione; sed ex omnibus sibi dictis comprehendit nihil.

Non capit  
quid sit aer.

Intelligebat benè, se respirare, & palpans manibus hinc & inde circum se, advertebat esse quid aliud, quòd aliâ ratione dispositum & fabrefactum sit, quam terra. Quid est hoc? dicebatur illi: Hoc aliud est corpus incomparabiliter majus universâ terrâ, quæ tota integra circumcingitur ab illo, quod solidum non est & grave sicut terra, sed fluidum & leve. Invenire hic est immensa spatia super terram, quæ tota illuminata sunt lumine cœli; & in omnibus hisce spatiis invenire est ingentem multitudinem avium diversæ naturæ, coloris, magnitudinis, & differentium valde proprietatum, quibus liberrima est potestas supra nostra obambulandi capita, quæ vadunt & veniunt, undequaque & quovis, ubi & quò libuerit ipsis, quæ

pernavigant celerrimè velut Oceanum magnum hoc aëris elementum, quæ gradum non faciunt in eo, & adsunt citissimè, quæ semetipsas suis sese sustentant & firmant alis in regione elevatâ supra vertices coronatos, quibus facultas non est ad ipsas usque suas porrigendi & protendendi manus. Miser hic cæcus, qui audit hæc omnia, nescit, quid sibi dicatur; impossibile est, ut sibi formet idæam taliter repræsentantem objectum, qualiter reipsâ habet.

Insuper dicitur illi, hæc omnia parva esse & exigua si adducantur in comparisonem cum aspectu pulchritudinis cœli, quod miræ tum sublimitatis est tum magnitudinis, quod expansum videtur in morem conopæi regii supra totam machinam universi; quòd digiti Dei, qui confecerunt & collocarunt insigne & exquisitum hoc opus in excelsis, velut tectum domus suæ, locupletaverint illud innumerâ multitudine pulcherrimorum astrorum, quæ dum miro refulgent splendore, videntur velut totidem pretiosi lapides fundo inserti ceruleo. Verùm quòd pulchritudines hæ non spectentur in cœlo, nisi tempore noctis, eòquòd omnis illarum splendor obfuscetur de die majori splendore unici solis, quem Deus collocavit in medio cœlorum

Non potest  
sibi formare  
aliquam idæam  
cœli &  
astrorum.

ompre  
que  
terra  
a.



rum & astrorum, velut fontem inexhaustum luminum, quæ torrentis in morem è suis in inferiora hæc omnia effundit oculis; quòd, quando is præsens est, omnes mundi venustates conspiciendas exponat luci; quando absens est, abscondat illas, omnesque homines reddat cæcos, lucisque usurâ privatos, quòd ipse sit, qui nostros constituat dies, nostrasque noctes, qui dividat tempora, annique tempestates; quòdque unico verbo, is solus quali afferat omnem mundo visibili felicitatem.

Quis dubitat, quin cæcus hic natus, inaudiens hæc omnia concipiat idæam magnæ cujusdam rei, unde rapiatur in admirationem, nescit tamen quid sit, & non est, nisi confusum quoddam chaos in imaginatione ipsius: Et quando annos integros explanare contenderis ipsi speciatim pulchritudinem colorum & lucis, omniumque rerum visibilium, impossibile est, ut concipiat & intelligat idipsum. Ratio clara est; quia cum nonnisi lumen sensibile ostendere illi possit pulchritudinem objectorum visibilium, isque hoc privatus existat, consequenter omnes pulchritudines visibiles respectu illius sunt, quasi non essent; quam luctuosissimam privationem vehementissime in suo deplorat corde,

Ah! si aliquando intueri mihi liceret speciosum hunc solem, qui totius naturæ est facula, quique lumine suo ostenderet mihi cunctas, quibus privatus sum, mundi pulchritudines!

In hac cordis ipsius amaritudine, præteriens JESUS CHRISTUS, vidit ipsum, & misertus illius, posuit lutum super oculos ipsius, dixitque illi: Vade, lava in natatoria Siloë; abiit & lavit, & venit videns, illicò aspexit lumen, & per lumen omnes mundi pulchritudines hæcenus nunquam à se conspectas. O Deus, quis enarrare posset ingentem ipsius admirationem, quam hæserit attonitus animo, quanto abreptus fuerit gaudio! aspiciēbat omnia, & omnia ipsi fuerunt nova, cuncta apparebant ipsi velut magna quædam prodigia. Quam speciosa sunt hæc! quam hæc omnia videntur mihi stupenda! incassum de his fiebant mihi verba, nil capiebam ex ipsis, nonnisi tenebrosum chaos circumferebam in mente meâ; sed modò video id, quod est, clarè intueor omnia, & aspicio pulchritudines, quas imaginari, quarum idæam mihi formare potuissem nunquam. Ecce tibi, quod in mundo materiali, & respectu lucis sensibilis omnino manifestum est; absque hæc impossibile est aliquid videre: quantum placuerit, loquere cæ-

Joan. 9.

Gaudium in  
credibile cæci  
nati, quod  
do incipit vi-  
dere.

cō



co nato, sed absque luce sensibili comprehendet nunquam, quid sit dies, quid colores, quid cuncta objecta visibilia. Jam sequere me, atollamus modò altius cogitationes nostras.

Vide Consult.  
19. art. 5.

Quando Jesus Christus asserit nobis, se esse lucem mundi, non loquitur de mundo hoc materiali, quem incolimus simul cum omnibus animantibus; sed de alio mundo supernaturali & spiritali, cujus jam supra mentionem fecimus, qui opus est gratiæ ipsius, & nostrarum habitaculum animarum. Hic mundus complectitur divitias & pulchritudines, quæ incomparabiliter antecellunt illas omnes mundi visibiles; sed impossibile est aliquam illarum videre, nisi illustratus quis sit divino lumine Jesu Christi. Ipse solus est sol speciosi hujus mundi; ipse solus demonstrare potest animabus illius pulchritudines: illæ animæ, quæ nihil ex ipsius participant lumine, sunt respectu omnium rerum supernaturalium, quod cæcus natus est respectu mundi naturalis: potest quidem ipsis fieri sermo de illius venustatibus, possunt deprædicari ipsius prodigia, sed nunquam ex ipsis quidquam comprehendent.

Quotidie fatigant se prædicatores in pulpitis clamando & annuntiando, quòd omnes res visibiles & corruptibiles non nisi

sint dignæ contemptu; quòdque res invisibiles & æternæ nostrum solummodò mereantur amorem; quòd anima præferenda sit corpori, quòd bona gratiæ usque adeò sublimiora & pretiosiora sint bonis naturæ, ut melius sit possidere unicum atomum gratiæ Dei, quàm omnia imperia mundi. Ingens populi multitudo hæc audit, & quasi nemo intelligit: judicabit forsitan aliquis per parvum & tenue quoddam lumen rationis, magni quidpiam ac veri latere illic; sed non capit, non comprehendit; est cæcus natus, cui loquaris de coloribus.

In casum dicitur illis, peccatum esse malum infinitum, reddens infelicem, quicumque circumferat illud in corde suo; quòdque homo, quantumvis sublimatus in folio, refulgens honore & gloriâ, natans totus in deliciis, & in omni bonorum terrenorum abundantia, longè infeliciores sit alligatis ad triremes mancipiis, si conscientiam habeat unico duntaxat peccato lethali obnoxiam; quòd sit divini objectum odii, quòd inferni flammæ, si in hoc statu perseveret, ipsi sint inevitabiles; quòdque ex hoc ansam non habeat ridendi, tripudiandi, seque felicem æstimandi, sed potius plorandi, sed lugendi, sed infelicissimum sese æstimandi cunctorum

Xxxx

ctorum

Joan. 9.

audium in  
edibilem  
nati, quo  
incipit vi  
ere.

Jesus Christus  
est sol in  
mundo gra  
tiæ.



ctorum mortalium. Cogitabit quidem, aliquid forsan veritatis subesse in hoc; & fortassis etiam levem quemdam tunc sentiet timorem; sed non comprehendit, nec idæam sibi format rei, qualis est in seipsâ. Est cæcus natus, cui verba facias de coloribus.

Non capitur  
quod vivere  
sicut JEsus  
Christus, ex-  
cellentius sit  
omni alio vi-  
vendi genere.

Dic illi, quòd omnes vanæ mundi opiniones ipsum decipiant, quòdque judicare possit, vitam, quam infinita sapientia Dei, postquam Incarnata est pro salute nostrâ pro propriâ suâ personâ sibi elegit, longè nobiliorem esse debere, omni aliâ vitâ & vivendi ratione, hancque omnibus aliis esse anteponendam; quòdque cum is vixerit in humilitate, in paupertate, in afflictione, in contemptu, in exspoliatione universali omnium rerum mundanarum vir prudens, cui libertas sit eligendi vitam, qualem voluerit, præferre debeat hanc cunctis aliis, felicior se æstimare, videndo se pauperem, quàm divitem, beatior in afflictione, quàm in voluptate, in contemptu, quàm in honore: judicabit is quidem hoc verum esse, ex ratione, quòd veritas infinita decipi non possit; sed non comprehendet, in quo consistat pulchritudo hujus vitæ; non capiet ipsius idæam in sua mente, nec affectum erga ipsam in suo

corde; cùm necessariò careat lumine ad hoc videndum: Est enim cæcus, quem informes de coloribus.

Verùm si dicas illi, majorem esse suavitatem in amaritudinibus pœnitentiæ, & in omnibus asperitatibus vitæ austeræ, quàm in cunctis mundi voluptatibus ac deliciis: plus esse sublimitatis in profunda humilitate, quæ quiescere nos faciat in nostro nihilo, quàm in cunctis victoriis ac triumphis Cæsarium: quòd insuper abscondi in solitudine, se separare à mundi familiaritate, ad conversandum nonnisi cum Deo, incognitum esse mundo, contemptum à mundo, absque consolatione sensibili, quin & gravissimis operatum esse crucibus, sit vera sanctissimarum animarum felicitas, ubi plures invenerint paradysum in terra, unde deducti sint in paradysum cœli. Ipse nihil videbit ex his, nihil capiet, est homo constitutus in media noctis caligine, cui ostendere voles mundi pulchritudines. Quomodo voles, ut has videat? nihil ad hoc, quo summè indiget, habet luminis. Dicit quidem: Ecce tibi sensa & dogmata valdè spiritualia, plurimumque omnem transcendentia naturam, sed horum pulchritudinem cernere non possum, nec eorum mihi formare idæam, multò

Non percipi-  
tur, felicitatem esse in  
vita austerâ.



multò minùs ea opere exequi. Et annum integrum ipsi loquere de mundi hujus supernaturalis pulchritudine, absque lumine divino omnem perdes operam, nec quidquam efficies.

O Divine JESU, tu solus vera lux es mundi, sinè te nulli animæ videre licet mundi hujus supernaturalis, qui gratiarum tuarum est opus, pulchritudines: miserere cæci hujus nati, fac ipsum videre lumen tuum, & per lumen tuum omnes pulchritudines mundi cœlestis. O quantâ perfundetur voluptate infelix hæc & cæca anima, si ingentem ipsi hanc exhibueris misericordiam! Ah! an ego sim in mora, an imputetur mihi? Respondebit tibi: lux non abscondit se, non vult aliud, nisi illuminare, cunctis se offert & exhibet oculis; sed quasi omnes hos ipsi claudunt, & plures se spontè excecant, ut miserè se privent aspectu admirandarum harum pulchritudinum, quæ omnium ipsorum abripunt. Ah! quare id faciunt? c. adversantur sibi ipsis, & cœcitate suæ?

Dux sunt rationes, quibus implexi semper tenentur miserabili hæc voluntariæ suæ cœcitate conditione. Prima est, quòd claudere oporteret oculos rationi humanæ, & renuntiare omni lumini naturali, si videre quis

vellet per lumen hoc supernaturalis; sed nemo est, qui facere hoc velit: Tam firmiter in hæremus, quando nitimur bonæ rationi humanæ, ut recedere ab illa nolimus, ad amplectendum lumen rationis superhumanæ, quod sæpiùs æstimatur ceu stultitia, à carnis prudentiâ. Nemo intelligit, quid dicat sanctus Apostolus Paulus: *Prudentia carnis mors est*: Et alibi: *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens*. Quando dicitur: An magis quid consonum sit rationi, quam vivere suo commodo, si quis facere id potest? Nonnè æquum sit conservare honorem suum & fugere omnem, quantum quis poterit, contemptum? An prudentis sit hominis, infelicem esse velle in hoc mundo, cum possit esse felix? quando allegantur innumeræ ejusmodi rationes, quæ videntur plausibiles, jam canitur triumphus, & vix est, qui ab illis recedere velit; hinc lumen JESU Christi quasi ab omnibus repellitur, eò quòd omnem transgrediator rationem humanam, ipsam subvertat, prosternat, ratione quadam confundat, quam comprehendere & sufferre non potest, vixque est, qui ipsi oculos non claudat. Ite lumina divina, abscedite divinæ rationes, nihil nobis vobiscum commercii:

Xxxx 2

Rece-

Rom. 8.

1. Cor. 3.

Non fiat per  
JESUM Chri-  
stum, quòd  
non videam-  
us per ip-  
sius lumen,

Ratio huma-  
na impedit,  
ne videatur  
lumen JESU  
Christi.



Job. 21. 4. *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Nihil rationis videmus in eo, quod proponitis nobis; adhærebimus semper & in-nitemur bonæ rationi humanæ.

Natura abhorret videre lumina Jesu Christi.

Alia ratio, quæ quasi obstringit & inducit omnes ad claudendum oculos luminibus Jesu Christi, adhuc speciosior est & fortior. Natura statim horrore percellitur, ubi primùm vel obiter & ex transcurso intuetur lumina Christi, benè præsa-giens omnia fore secum perditâ, si magnæ hæc veritates domi-nari & tenere clavum incipiant in anima, seque illic constringant obedientiâ: Siquidem suis ibi privabitur voluptatibus, moriendum hic erit mundo ac si-bimetipsi, portanda quotidie crux mortificationis, ad sequendum Jesum Christum, seque conformandum ipsius vitæ; & hoc est, quod ipsa abhorret. Quomodo hæc omnia inducam animo, quæ nonnisi magnos mihi conciliarent angores, meam-que cogerent ac violarent libertatem? viâ regiâ incenden-dum est mihi; modò agam vi-tam rationi admodum con-gruam, uti mos est viris bonis, abundè est pro me: Et exin neglectui habetur purissima JE-su Christi doctrina, veriorque sancti Evangelii spiritus, velut res, quæ non concernant nos, sed spectent ad alios.

Interim non intermittimus vocare nos Christianos, legere tamen volumus & auscultare Verbum Dei, approbamus e-gregias, quas nos edocet, veri-tates; sed hæc omnia metimur juxta regulam bonæ rationis humanæ: sumimus exin, quan-tum nobis conducit, ut vitam ducamus honestam, nec angamus multum naturæ inclinatio-nes; ita ut divina Jesu Christi lumina, ejusque dogmata non sint rationis & vitæ nostræ re-gula; sed speciosa nostra ratio humana regula sit æterni hujus luminis, quod illuminat om-nem hominem venientem in hunc mundum: illud accomo-dare se debet prudentiæ nostræ humanæ, nostrisque inclinatio-nibus naturalibus, quas hone-stas judicamus, alias illius nihil aridet nobis. Adhuc multum id est, si credamus rescindere nos id, quod vitiosum videtur nobis & minus consentaneum rationi; sed ultra progredi & renuntiare luminibus rationis humanæ, & inclinationibus na-turæ, quæ innocentes & noxæ expertes nobis videntur, ut at-tollamus nos altius & vitam du-camus supernaturalem ac prorsus divinam, juxta exemplum & animum Jesu Christi, ne-mo quasi hoc capit, hoc intel-ligit idioma. Pondera hoc bene, Onesime, & invenies hanc

Quanta cor-ruptela, mo-derari velle- veritates divi- nas juxta ra- tionem no- stram huma- nam.



hanc veram esse rationem, quare Jesus Christus sic repudietur à mundo, & quare non solum paucissimos converterit Judæos, sed etiam inter ipsos Christianos tam pauci sint, qui approbent & sequantur puram ipsius doctrinam: plurimi vivunt nonnisi sensibus, uti animalia; alii non pauci ratione se dirigunt, uti Philosophi; paucissimi vivunt ut veri Christiani, supra sensus, & supra rationem.

Nihilominus fuit & adhuc videre est, qui clarè intueantur mundi hujus supernaturalis, quem mundum gratiæ nuncupamus, pulchritudines, respectu quarum cæteri omnes cæci sunt, & cæci nati, qui quæ ita oblectentur illis, ut cætera omnia contemnunt ad ipsas amplectendas. O! quantum complaceat sibi Deus exhibere animæ favorem hunc omnino prodigiosum, ut auferat ipsis cæcitatem hanc spirituales, ipsaque clarè intueri incipiat pulchritudines divinas vitæ Jesu Christi, ipsius doctrinæ, ipsius Spiritûs, ipsius affectuum, ipsius operum? O Deus! quid erit cum illâ? quid accidet illi? longè major erit ipsius admiratio, quàm cæci nati, dum aspicere incepit pulchritudines mundi sensibilis: Quanta gaudii abundantia obruet illam? quidquid

videt, nonnisi videt prodigia, quibus ipsius abalienatur animus, quibus ipsius attollitur cor supra omne id, quod unquam sibi poterat imaginari. O quàm longè hic aliam intueor regionem, quàm illam naturæ, alias pulchritudines, alias divitias, alias pretiositates, quas non noveram! quantum excellentiæ, quantum gloriæ in profunda humilitate? Videbatur illa mihi prorsus contempta; & ecce attollitur ad thronos Angelorum. Quantas divitias! quantam voluptatis abundantiam in altissima paupertate! videtur ipsa esse nihil, & possidere nihil; & ecce possidet omnia; ipsius enim thesaurus est Deus: prò deesse quid possit ipsi, qui possidet Deum! quantam suavitatem, quantum dulcorem, in asperrimæ pœnitentiæ amaritudine! quàm profundam pacem, quàm solidum solatium in portanda divini Magistri nostri Cruce! Mundus cæcus nonnisi meras hic intuetur miserias, & nescit superabundantiam gaudii in omni tribulatione nostra.

Toties id mihi dictum fuerat, & capiebam nunquam, quia nonnisi sequi volebam lumina rationis humanæ, quæ in omnibus hisce cæcitatibus; sed modò dum oculos obseravi propriis intellectûs mei naturalis & ratio-

Xxxx 3

nis

Admiratio & gaudium animæ illustratæ luminibus Jesu Christi, dum clarè videt pulchritudines mundi gratiæ.



Affectus &  
vota animæ  
illuminata.

nis humanæ falsis luminibus, ut referarem eos vero lumini JESU Christi, clarè id video, certitudinem de eo possideo, nec ulum vel minimum hæc super re mihi superest dubium. Deserere cuncta pro Deo, & possidere non nisi ipsum solum, summè est esse divitem; humiliare se, annihilare se propter Deum, maxima est dignitas, summus honor, quem assequi quis possit super terram; portare Crucem & pati pro Deo, absque ullo solatio humano, verus paradus est animæ; id luculenter video, id sentio, id gusto, de eo dubitare non possum.

Proposita  
animæ à JESU  
Christo illu-  
strata.

Immò postquam divini hujus luminis radii magis aliquam illustrarunt animam, quàm prodigiosos videre est dimanare exin effectus? omnia in hac anima videas quasi susque deque versa. Vale munde, valete voluptates, valete divitæ, valete curæ corporis, vitæ, sanitatis, valete amici, consanguinei, societates, commercia cum creaturis. Ades dum solitudo, ades dum pœnitentia, ades dum æternitatis memoria, ades dum imitatio vitæ JESU Christi, amabilissimi Salvatoris mei, adeste religiosa, quæ me docuit, mortificationis & abnegationis opera; vos agnosco, vestrum decorem video, vos diligo, nec ulli, nisi vobis deinceps invigilabo.

Et mundus, qui tam inusitata cernit mutationem, in qua nihil comprehendit, totus attonitus hæret & stupefactus. Quantum ad me, nescio, quâ ratione homo iste aggredi potuerit ejusmodi genus vitæ: Verum est, nescis, nihil hic vides, quia cæcus es respectu pulchritudinum, quæ rapuerant hominem istum; sed si vidisses, quod ipse vidit; faceres quod ipse fecit.

Discursus hic commovit Onesimum. Optarem, inquit, parvum divini hujus luminis radium, qui ostenderet mihi omnes has sensibus & rationi humanæ absconditas pulchritudines. Sed quâ ratione? Non benè novi JESUM Christum; non arrident mihi ipsius dogmata, effata ipsius & placita. Quid facere possem, ut illorum obtineam cognitionem? frequenta scholam ipsius, consule pium nostrum Ecclesiasticum; schola ipsius est oratio, schola ipsius est Sacræ Scripturæ lectio cum spiritu humili, docili, & cognoscendi ipsum aviditate succenso, schola ipsius est prædicatio. Asculata Verbum Dei cum bonis, quas afferre oportet, dispositionibus. Sed has nescio: dicam tibi hic illas, hisque nostræ finem imponemus Consultationi.

Quid facien-  
dum ut ab-  
quis illumi-  
nari merea-  
tur a JESU  
Christo.

ARGU-



## ARGUMENTUM.

*Modus excellens fructuosè audiendi Verbum  
DEI.*

## ARTICULUS V.

**N**on totum in eo situm est, adesse in Ecclesia & assistere coram Cathedrâ, ut audiatur Verbum Dei. Audientium corona videtur quandoque admodum numerosa, nihilominus reipsâ valde tenuis est & exigua, cum paucissimi sint, qui Verbum Dei, uti oportet, auscultent.

Quatuor hominum genera frequentant Concionem. Aliqui accedunt, ut videant Concionem; hi non adsunt, nisi ut congregatum inspiciant & perlustrent cœtum, oculis nunquam non vagabundis, observantes modò in his, modò in aliis oris totiùsque corporis habitum; ut videant, an magna audientium adsit corona, an præsens sit ille vel illa, semper animo abrepti ad mille chimeras sibi caput obruentes, nec ullam ad id, quod dicitur, permittentes attentionem. Hi fuerunt in sermone, & viderunt illum, sed non audierunt Verbum Dei.

Alii accedunt, non audituri Concionem, sed audituri Concionatorem, suumque de eo formaturi judicium: aspiciunt

ipsum in pulpito, velut Actorem in theatro; exactissimè observant ipsum à capite usque ad pedes; an polleat agendi dicendive lepore, an valeat voce, hancque moderari ad leges artis possit, an verborum utatur phaleris, an benè enuntiet illa, an gestus efformet aptos & compositos, an suam possideat dictionem, an peroret, ut didascalus, an loquatur ut discipulus, an præstet facundiâ, an depromat curiosa, docta, exquisita, an voluptate afficiat vel fastidio. Et postquam omni invigilarunt curâ, ut promerita hunc hominem notent censurâ, congregiuntur post sermonem, & suum de ipso ferunt judicium. Hi fuerant in sermone, sed non audierunt Verbum Dei: siquidem non fuerunt ibi velut discipuli, ut addicerent cognitionem Dei, sed ut Magistri & iudices suam pronuntiaturi sententiam.

Tertii frequentant sermonem animi causâ, ut se oblectent & temporis horulam jucundè conterant: nil minus hi quærunt, quàm Verbum Dei; hoc namque nimis pervulgatum, nimis

Alii, ut censurâ perstringant Concionatorem.

Alii, ut suâ satisfaciant curiositati.

trivia-



triviale est pro ipsis; sed argu-  
tia quædam Philosophica inge-  
niosè disceptata, factum quod-  
dam historicum eleganti dedu-  
ctum stylo, amœna quædam &  
florida rei descriptio, artificio-  
sum aliquod & acutum Poëseos  
figmentum, curiosa quædam  
& benè ventilata quæstio, sceta  
nugis jocisque dramata, hæc  
sunt Embammata, quæ ejusmo-  
di hominibus excitant orem:  
Quod si quem inveniant, cui  
sit curæ curiositatem ipsorum  
oblectare, hic audit apud ipsos  
oraculum, attollitur ab ipsis ad  
æthera. Hi fuerunt in sermo-  
ne sicut alii, sed non percepe-  
runt Verbum Dei; hoc enim  
non quærebant, minimumque  
id erat, cui intendebant, sepe-  
lientes id illic oblivionis tumu-  
lo; tenaciter autem conservan-  
tes id omne, quod profanum est  
& curiosum, vanum ac inutile,  
dimissis ac neglectis cæteris, cum  
bonum non quærant utile, sed  
delectabile.

Fauci, ut ve-  
rè audiant  
Verbum Dei.

Quarti igitur, quorum mini-  
mus est numerus, & sæpissimè  
valdè exiguus, conveniunt ad  
sermonem cum animo verè au-  
diendi Verbum Dei. Hi visum  
non veniunt sermonem, judi-  
catum non accedunt prædica-  
torem, oblectatum non advo-  
lant rebus vanis suam curiosi-  
tatem; scopus ipsorum est, ut  
Verbum Dei suis usurpent auri-

bus: horum sunt paucissimi, &  
ex his non pauci audiunt illud  
tam male, ut inde parvum vel  
ferè nullum hauriant fructum;  
vel quia modum ignorant id au-  
diendi benè, vel quia fideles  
non sunt id exequendo, quod  
faciendum erat.

Et quid ergò facere oportet? Ut benè au-  
diatur Ver-  
bum Dei: ali-  
qua prælan-  
da sunt ante,  
aliqua sub,  
aliqua post  
concionem,

Oportet imprimis, prosequi-  
tur Ecclesiasticus, aliquas ante  
sermonem habere dispositiones;  
oportet secundò observare ali-  
qua inter sermonem ipsum. Et  
tertiò (quod præcipuum est)  
benè oportet uti auditis post  
sermonem. Adverte benè, quid  
tibi dicam, & studebo ita dicere,  
ut intelligas.

Primò oportet ex parte suâ Juxta menti-  
ram disposi-  
tionis referretur  
fructus è con-  
cionem,  
bonas afferre ad sermonem di-  
spositiones, si referre ex sermo-  
ne quis velit fructum bonum: fructus è con-  
cionem,  
Siquidem universalis est regula,  
quod causæ universales non a-  
gant, nisi juxta dispositiones,  
quas inveniunt in subjectis.  
Plerumque parvus effectus, qui  
reportari conspicitur, è tot ubi-  
que frequentatis & declamatis  
Concionibus, aliunde non pro-  
ficiscitur, nisi ex mala audien-  
tium dispositione. Hanc maxi-  
mi ponderis veritatem JESUS  
Christus ipsemet explanavit no-  
bis



bis in pulchra illa de semine parabolâ. Semen, inquit, est Verbum Dei, quod agricola ubivis indiscriminatim projicit: aliud cadit supra petram, & radicem non potest agere; aliud cadit secus viam & volucres cœli veniunt, rapientes illud, & sic sine fructu efficitur; aliud, sed illius pars exigua cadit in terram bonam & solerti industriâ cultam; & hoc facit fructum majorem vel minorem, juxta quod illa bene vel melius fuerit disposita ad illud recipiendum. Ecce quomodò idem semen inutile maneat, vel fructuosum sit, vel magis fructuosum, juxta dispositiones, quas invenit in terrâ, in quam jacitur.

Malæ dispositiones ad audiendum Verbum Dei,

Idem omninò accidit cum Verbo Dei, inquit Salvator noster: si afferas cor lapideum, durum, insensibile, nunquàm non rebelle voci Dei, quomodò expectas aliquid fructus producturum ibi Verbum ipsius? Oportet igitur hanc emollire duritiem, oportet contere cor hoc lapideum actibus contritionis; quem in finem haud absolum foret, aliquantulo tempore ante Concionis initium adire Ecclesiam, tēque exercere solerter & seriò in actibus doloris, aversationis & odii erga peccatum, amorisque erga Deum, quibus cor conteritur & quasi redigitur in pulverem, ut fiat

Cor durum.

terra bona ac idonea ad recipiendum utiliter bonum semen; Imaginare tibi, à campanâ te ad Concionem vocante, tuis accini & occentari auribus illud Vatis regii: *Hodie si <sup>Psalm. 94.</sup> vocem ejus audieritis, nolite obdurare <sup>v. 2.</sup> corda vestra.* Non audies id in vanum, necessariò oportet id aliquem in te producere effectum, quo te vel emolliat, vel obduret. Elige.

Si afferas ad sermonem animum in morem vepreti curarum aculeis horridum, sollicitudinibus rerum humanarum transfixum; si caput habeas foetum & oppletum negotiis, angustiis, inquietudinibus, timoribus, consiliis, millenis cogitationibus afflictivis, quibus occuparis, quibus torquearis: quâ ratione attentionem necessariam adhibere poteris Verbo Dei, ut desideratum ex eo capias & referas fructum? Evelle spinas, expelle saltem parvulâ illâ morâ, unicâ horulâ omnem aliam ex animo curam, omnem aliam ejice è mente cogitationem, tranquilla redde interiora cordis tui per quietum & vacuum ab omnibus curis silentium, sub quo divinum Verbum pacificè nasci possit in anima tua. An ignoras, hâc ratione Verbum Incarnatum intrare voluisse in mundum: Dum medium silentium tenebant omnia; in medio silentio  
Yyyy omnium

Animus turbatus negotiis & inquietudinibus.



omnium Creaturarum? Ex defectu hujus dispositionis plerique eorum, qui negotiis sæculi sunt intricati, quasi nunquam fructum hauriunt è Verbo Dei.

Alia adhuc mala dispositio est ad audiendum bene Verbum Dei, si fueris velut lata quædam & trita via, cunctis aperta, & indiscriminatim ab omnibus frequentata. Fortitan carebis pungentibus te spinis, eò quòd nulla tibi sint negotia, quibus tua interturbetur quies; verùm est tibi levitas animi, & continua cogitationum defatigans mentem evagatio; omnibus ac singulis indifferenter permittis transitum per oculos tuos, per aures tuas; per imaginationem tuam; nec unquam aliquid arces, nunquam alicui præcludis aditum: nunquam dispositus, ut ingrediaris teipsum, tuum figens & recolligens animum, quem impendas & intendas magnis & infinita ratione ponderosis salutis tuæ veritatibus. Si accesseris ita, venies incassum audire Verbum Dei; neque enim vel minimum ex illo percipies emolumentum: Dispose te melius; & quomodo? Ecce tibi bonas quatuor dispositiones.

1. Bona dispositio est ad audiendum bene Verbum Dei, magno ejusdem teneri desiderio, magni illud pendere, & agnoscere, maximam esse felicitatem,

summumque honorem, quo frui possis, quod Altissimæ Majestatis Deus, quem reverentur Angeli in cælo, dignetur tibi loqui, teque admittere ad Divini Verbi sui auscultationem. Accede magnâ cum fame id audiendi & bene degustandi, & omnem illic invenies dulcedinem, ac fructum omnino singularem.

2. Est bona dispositio, quando acceditur cum intentione pura cognoscendi Deum, ut diligatur; addiscendi divinas ipsius voluntates, ut impleantur, sequæ accendendi majori erga negotium salutis suæ zelo; & quando quis ita omnem adhibuit conatum ad emolliendum cor suum, ac reddendum illud docile ad vocem Dei, est quasi impossibile, quin Deus benedicat menti & intentioni tam puræ, tamque piæ.

3. Non minus bona dispositio est, quando quis suo expellit animo omnem aliam cogitationem, ut unicè suam defixam habeat mentem Divini Verbi præconio, velut maximo, gravissimique momenti negotio, quod tractari possit in terra, probe ponderando, quòd dependeat æternitas ab eo. Eheu! fortassis salus mea vel æterna mea damnatio dependet ab hæc horâ, juxta quod bene vel malè impenderim eam, proficiendo vel non proficiendo è Verbo Dei. Quando

Anima vaga-  
bunda & dis-  
sipata.

Quatuor bo-  
næ dispositio-  
nes necessa-  
riæ, ad audi-  
endum bene  
Verbum Dei.



do res aliqua summo habetur loco, & non mediocris sed maximi creditur esse ponderis, haud negligenter illi manus adjicitur, nec levi dumtaxat conficitur Minervâ; sed omnes impenduntur nervi, ut auspiciatus ex eâ referratur fructus, hicque non levis, sed maximus.

4. Denique optima dispositio est, quando acceditur profundâ cum humilitate: Siquidem Deus arcana sua revelat humilibus, & abscondit illa superbis; consultum igitur est, ut per ignita suspiria è cordis meditullio ad Deum vibrata petatur ab illo, quod pauper ille cæcus expetiit in Evangelio: *Domine, ut videam lumen;* vel quod sanctus efflagitavit Augustinus: *Domine noverim te, noverim me;* utque immediatè ante Concionis initium brevis sed fervens fiat oratio ad Spiritum Sanctum pro Concionatore, ut inspiret ipsi, quod melius fuerit magisque proficuum gloriæ Dei & audientium salutis; pro se ipso, ut tribuat sibi cor docile & morigerum; & pro totâ assistentium coronâ, ut abundanter suas super illos diffundat gratias.

Maximè assentior his omnibus, inquit Onesimus, probè advertens, quòd qui attulerit bonas hæc dispositiones ad auscultationem Verbi Dei, plurimum relaturus sit ex illa emolumentis; quæ tantò magis arrident, quanto minori cum difficultate af-

ferri possunt, si vel leviter adjiciatur illis animus. Sed dicebas, certa quòque observanda occurrere, dum dicitur sermo. Quænam sunt ista? Ecce tibi illa.

Primum est, auscultare omnia, quæ dicuntur in veritatis Cathedrâ, maxima cum reverentiâ, non velut verba hominum, sed velut verum Verbum Dei. Sic sanctus Paulus exaratum reliquit:

*Non ut verbum hominum, sed ut est verè Verbum Dei.* Non credas esse

2. Thes. 2, v. 13.

hominem, qui enuntiet tibi hæc cæli oracula; sed putes ipsum Deum esse, qui loquatur tibi ex ore ipsius. An enim ignoras, quid suis & de suis asseruerit Prædicatoribus: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Qui muniretur vivâ hæc fide, & profundâ hæc reverentiâ erga Verbum Dei, sæpe Deus reipsâ ipsius loqueretur animæ, & auribus cordis cuncta suggereret alia, quàm quæ auribus corporis suggerit Prædicator.

Sub sermone tenendum est, Deum nobis loqui.

Secundum, quod observari oportet, est; ut magna cum cura conserventur & custodiantur omnia, & non perdat ex iis, si possibile est, nec verbum unicum, non solum, quòd nescias, quo ex illis uti velit Deus ad illuminandum & movendum animam tuam; quòdque, si negligas unum, forsitan id esse possit, quòd maximè tibi erat necessarium; sed etiam, quòd credere debeas,

Yyyy 2

S. August.



debeas, idem Verbum æternum, quod indurum est carne mortali in mysterio Incarnationis, ad reddendum se visibile oculis nostris, quòdque abscondit se sub speciebus panis in sanctissima Eucharistia ad intrandum in ora nostra, se induisse quòque voce sensibili per linguam Prædicatorum, ad ingrediendum per aures nostras.

Recipiendus est Iesus Christus in Concione, sicut in Communione.

S. August. hom. 20, inter 50.

Quamobrem sanctus Augustinus vigesimâ ex quinquaginta suis homiliis (quæ veluti quinquaginta ingenii & zeli sui sunt prodigia) volens instruere populum suum, quâ ratione recipere debeant adorandum hoc Verbum in Prædicatione, proponit ipsis pro exemplari modum, quo accedere solent, ad recipiendum adorandum Corpus Christi in sacra synaxi. Et ecce tibi, quâ ratione loquatur illis: *Interrogo vos fratres, dicite mihi, quid vobis plus esse videtur, Verbum Dei an Corpus Christi? si vultis vere respondere, hoc utique dicere debetis, quod non est minus Verbum Dei, quam Corpus Christi. Et idè, quantâ sollicitudine observamus, quando nobis Corpus Christi ministratur, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tantâ sollicitudine observemus, ne Verbum Dei, quod nobis prædicatur, dum aliud cogitamus aut loquimur, de corde nostro pereat: quia non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audièrit, quam qui Corpus Christi in terram cadere negligentia suâ permiserit.*

Ecce ergò hic paucis, sed patheticis verbis instrueris à sancto Augustino, quâ ratione auscultandum sit Verbum Dei: Fac ad recipiendum illud dignè, quod facis, ut dignè recipias sanctissimum Corpus Christi: Et hoc sufficit; sed minus tibi faciendum non est, cum sit idem Iesus Christus, quem recipis in utroque. Intrat ipse per Sacram Synaxim in os tuum, intrat per prædicationem & Verbi Divini annuntiationem in aures tuas; utrobique & ubivis omni dignus est reverentiâ. Desideras puram esse animam tuam, ab omni labe peccati, ad recipiendum Sacram Synaxim & Corpus Domini; id ipsum quòque age, ut dignè excipias & auribus recipias Verbum Dei; veritates æternæ, quas nobis annuntiat, non intrant libenter in animam peccatis obnoxiam. Magnam adhibes reverentiam, nec minorem sollicitudinem, ne minima perdat particula, Sacram recipiens Eucharistiam; non minus reverentiæ non minus solertiæ adhibeas, quando idem Verbum æternum recipis in verbi sui prædicatione. Et ecce tibi, quid secundò sit observandum.

Et pro tertio, cogita semper, Deum esse, qui loquatur tibi; ita tibi ipsi in particulari, & de omnibus quæ dicuntur, tum poteris, quasi dicerentur nonni-



nonnisi pro te solo: ne imiteris illos, qui cuncta remittunt ad alios; Hoc est bonum pro illo, hoc non malè quadrat pro istâ, hocq; optimè congruit pro isto altero. Non, hæc omnia sunt pro te ipso: Dicas sæpiùs in arcano cordis tui, quasi videres Jesum Christum præsentem, tibi que coram loquentem: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Ecce ergò, quid observandum sit durante concione.

Verùm hæc omnia proderunt nihil, nisi fidelissimè conserves Verbum Dei, & conservatum in tuum convertas commodum. In hoc præcipuè totius rei cardo vertitur; cujus defectu frequentissimè auscultatur Verbum Dei, & nihil inde proficitur. Mos habet tumultuariò & catervatim concione absolutâ mox egredi Ecclesiâ, & illicò permittitur sensibus, imaginationi, totique animo alias prorsùs admittere cogitationes, quæ diripiunt in momento, quod auditum fuerat in sermone. Actum est, non amplius subit memoriam, fugiunt omnia ac si nunquam fuissent audita.

Totus Con-  
cionis fructus  
consistit in  
hoc, ut con-  
servetur in  
corde, ibi  
ponderetur &  
benè digeratur.

Non in momento, quo percipitur sermo, trahitur ex eo profectus: siquidem oportet affixum esse animo iis quæ dicuntur & docentur à Concionatore, qui loquitur celeriter, ubi sibi ipsi intendere, sibi que dicta applicare non permittit temporis angustia; sed

faciendum hoc est instituta desuper reflexione. Quando post sermonem mediâ horâ vel saltem quartâ horæ parte recollecti animo, uti post receptam Sacram Synaxin fieri amat, præcipua ruminamur auscultatæ Concionis capita, gustare conamur illa, & altè menti insculpere, sicque digerendo per otium in nostrum convertere alimentum; tunc ipsemet Deus Prædicatorem agit animæ nostræ, illam instruit, illam movet, illam urget ad bona concipiendo propolita, ad renovandum fervorem. Et ecce tibi fructum, quem colligit & haurit exinde. Unica Concio hæc ratione auscultata plus afferet utilitatis quinquaginta aliis, ejusmodi reflexione desuper facta destitutis.

Conquereris non valere te memoriâ, quâ retineas dicta in Concione. Et quomodo diu retinere poteris ea, quæ nonnisi audisti vice unicâ, & quidem strictim & in transcurso, quin desuper instituas recollectionem: Cogitandum & recogitandum & longiori morâ ruminandum est id, cujus retinendi tenetur quis desiderio. Vide, quid faciant volentes addiscere Philosophiam, vel aliam quamvis scientiam: Non sunt contenti auscultasse semel Magistrum docentem, sed habent tua scripta, quæ legunt & sæpiùs relegunt; de illis discurrunt, illa penitiùs rimantur, ex illis & circa illa

Quomodo  
scrutanda ve-  
ritates saluti,



ca illa disceptant, seque exercent, quoad profundè inculpserint menti, quod scire desiderant.

Modus benè  
retinen ser-  
monem.

Quanto id nobis probro, quòd centies majori non ardeamus zelo addiscendi res fidei & veritates salutis. Non sufficit, has semel dictas esse nobis; oportet ponderare illas, volvere & revolvere animo, nec acquiescere, quoad perfectam illarum assequamur cognitionem. Ecce tibi,

cui studio invigilandum sit omni Christiano; nò esse nimirum Christum & veritates salutis. Ecce orationis suæ quodnam eligere debeat argumentum, quæ verè oratio est fidei excellentior omnibus. Et ut omnia unico absolvam verbo, vis modum & medium certum benè retinendi Concionem? Exerce, exerce ipso opere, quod audisti in sermone, & oblivisceris nunquam.

## CONSULTATIO XXII.

*De Thesaurò infinito meritorum Jesu Christi.*

S. Augustinus  
in Psalm. 93.

Deus nobis  
vult vendere  
regnum cœ-  
lorum.

**L**Egenti mihi Scitum illud S. Augustini effatum in Psalmum nonagesimum tertium, ubi introducit loquentem cum animâ Deum: *Venale quid habeo. Quid, Domine? Regnum cœlorum. Quo emitur? Ut videam, an sim solvendo; respondetur, id pretii esse infiniti, eoquòd boni infiniti conferat possessionem, eamque infinito tempore, in omnem nempe æternitatem. Magnificentia regni me capit & allicit, id habendi cor flagrat ardore; sed pretii exterret me magnitudo. Quâ ratione id obtineam?*

Ex hoc omnium mearum divitiarum in eo rationem, ut experiar, an habeam, unde solvam; & invenio me nonnisi

miserabile habere nihilum, unde exivi per Creationem: Ecce tota mea hæreditas. Invenio aliud adhuc deterius mihi esse nihilum, in quod dilapsus sum per peccatum: Ecce totum meum, quod feci lucrum. Video me habere Corpus humanum, quod nascendo attuli in mundum, sed huic facultas non est alia, quàm corporalia conficiendi opera, quæ ex seipsis abjecta sunt & brutis propria: hæc omnia non admodum magni sunt valoris. Verum est, me etiam habere animam spirituales, quæ idonea est ad exantlandanda opera longè nobiliora, quàm illa sint corporis; sed hæc omnia, cum nonnisi intra conditionem stringantur naturalem, procul absunt, ut ad infinitum

Omnia no-  
stra natura  
bona non suf-  
ficiunt ad e-  
mendum il-  
lud.

acce-